40 40
H. lit. P.
199

Digitized by Google

Digitized by Google

4° H. lit. P. 199



Jungwirth del. et Sc. M.

Digitized by Google

<36625294950011
<36625294950011
Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Hist lit part Germ . 859 .
l 2 . C . 111 .

Digitized by Google

STADA LITERATA

DOCTORVM VIRORVM STADAE

ANNO MDCCXI

VIVENTIVM

VITAS HONORES ATQVE OPERA

EDITA ET INEDITA

R

EXHIBENS

SCRIPTORE

IO HENRICO VON SEELEN

KEDINGENSI

GYMNASII STADENSIS CIVE

STADAE

SVMTIBVS HENRICI BRVMMERI

TYPIS CASPARIS HOLWEINII

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO COMITI
AC DOMINO
MAVRITIO VELLINGIO
COMITI IN ECKENAES BARONI IN FÜNNHOFF
INVICTISSIMI SVECORVM REGIS SENATORI
PROVINCIARVM BREM. ET VERD. GVBERNATORI GENERALI
PEDESTRIS MILITIAE DVCI
ET COPIIS SVECICIS PER GERMANIAM
SVPREMO CVM IMPERIO PRAEFECTO

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

IOANNES HENRICVS VON SEELEN

QUamquam feruentisſimis domi forisque negotiis, quae TE, COMES ILLVSTRISSIME, pro ſalute Reipubli-

)(2 cae

Digitized by Google

cae hac tempeſtate diſtinent, intempeſtiuus quodammodo Muſarum interuentus videri poſſit; Tuae tamen comitatis ac clementiae tam peruulgata gloria, tamque certa omnibus fiducia eſt, vt *Stada* haec *Literata* audeat TE, etiam occupatum, humillime adire, & ex Tuo nomine decus aeque ac munimentum ſibi conciliare. Neque enim ei adeo nullus eſt virtutis ac magnitudinis Tuae ſenſus, quin pulchra quadam ambitione frontem oſtentare cupiat nomine VELLINGIANO praemunitam, quo nullum ſibi reperire potuit glorioſius: neque ipſa quoque, ni fallor, aequitas aliud videbatur poſtulare. Aequum ſane erat, vt quae vrbs tota cum omni prouincia, in tutela Tua eſt, eius pars literata non aliud ſibi praeſidium quaereret, quam Tuum. Imo aequum etiam erat, vt Heros literis pariter ac armis inclytiſſimus, in caſtris Muſarum non minus, quam Martis, principe loco cognoſceretur; & quem armata Pallas inter primores dudum conſtituit, eundem ipſa erudita quoque in agmine virorum ſapientia illuſtrium velut ante ſigna cuperet eminere. Ne quid de neceſſitate dicam, quae Muſas noſtras compellit, vt, quo grauior nunc tempeſtas eſt, eo magis certum ſibi expetant atque exploratum tranquillitatis ſuae firmamentum. Patere igitur, DOMINE GRATIOSISSIME, vt Stada erudita in ſinu Tuo quam verecundiſſime ſe condat, & per TE vindicari conſeruarique cupiat: imo patere, vt me, pro ea verba facientem, ipſa mea iuuentus & tenuis con-

ditio

Digitized by Google

ditio aditu ad gratiam Tuam non prohibeat, mihique ſimul liceat, conſecratis hiſce ſtudiorum meorum primitiis, TE Maecenatem & fortunae meae ſtatorem venerari. Digrediantur alii in laudes Patronorum, quibus ſe ſuaque dedicata volunt: mihi, vereor, ne temeritati duceretur, ſi vel in vno meritorum Tuorum praedicando experirer. Quippe teſtatiſſima REGIS noſtri Clementiſſimi gratia dudum TE Tuamque Gentem Illuſtriſſimam in eo faſtigio poſuit, vt non mea duntaxat, ſed diſertiſſimi cuiusque in laudando facultas longe infra gloriae VELLINGIANAE magnitudinem ſubſidat. Id vnum mihi relictum video, vt pro Tua incolumitate vota quam religioſiſſime nuncupem, Deumque obſecrem, vt TE, non Stadae tantum Literatae, ſed communis reipublicae exoptatiſſimum Antiſtitem, in cuius prudentia & dexteritate ſpes populi maxima recumbit, vna cum Gente Illuſtriſſima continenter pace atque armis florentem ſeruet, iubeatque ſalutem patriae ex Tuo praeſidio, Tuam vero gloriam ex ipſa temporum difficultate ampliſſimum capere incrementum. Scribebam Stadae Prid. Idus Nouembr. A. MDCC XI.

Digitized by Google

Lector beneuole.

VT omnis hiſtoria literaria hac noſtra aetate magis effloreſcit, ita & hoc ſcriptionis genus, quod in viris eruditis, qui ſingulis in locis hodie viuunt, recenſendis occupatur, a tenuibus initiis ſenſim ſuccreuit. Primum enim nomina tantum doctorum alicuius vrbis vulgata ſunt, vt ex editione prima *Hamburgi Literati*, itemque *Lubecae*, *Rigae*, *Dorpati*, *Reualiae* & aliarum liquet. Dein breue etiam indicium muneris aut diſputationis cuiusdam Academicae factum eſt. Tandem cum neque hoc ſatis ex vſu reipublicae literariae eſſe videretur, alii vlterius progreſſi, vitas quoque eruditorum, cum pleniore ſcriptorum deſignatione, exhibuerunt; vt nunc quidem *Holmia*, *Pernauia*, *Roſtochium*, *Brema*, & forte alia, quae prodierunt, *Literata* nonnihil ſubſidii ad hiſtoriam eruditorum nouiſſimam afferre iudicentur. His itaque exemplis inductus, pro eo, qui me inceſſit erga hoc ſtudium amore, *Stadam* quoque *Literatam* in lucem producere volui, & in leui hoc labore primas vires, tuamque cenſionem experiri. Non ea quidem huius vrbis amplitudo eſt, vt propter ſolam doctorum incolarum copiam hoc officium a me ſuſcipi debuerit; attamen non inutiliter ſuſceptum arbitraberis, ſi in ipſa paucitate eos deprehenderis viros, quorum merita & ſcripta mihi quidem tacere iniquum fuiſſet, tibi autem aliunde cognoſcere laborioſum. Neque erit forte, Lector humaniſſime, quod meam apud te iuuentutem excuſem, cum in hoc ſcribendi

genere

Digitized by Google

genere non aliae partes ſint, niſi candoris & diligentiae, quas cur a iuuene expleri non poſſe exiſtimes, nullus video. Metuo potius, ne nimiam illam & faſtidiendam diligentiam putaturus ſis, quam in illis etiam enarrandis poſui, qui ad rempublicam literariam nondum quidquam praeter nomen attulerunt. At vero non tantum patieris, Bremae Literatae, Roſtochii, aliisque exemplis me defendi; ſed ipſe etiam, ſi recte intelligis, facile iudicabis, in hoc notitiae genere excuſatius peccari abundantia quam defectu: praeterea tum demum eos, qui nondum praeclari aliquid praeſtiterunt, commemoratione indignos habendos eſſe, quando certum eſt, eos in poſterum quoque nihil praeclari praeſtituros. Iuuerunt hoc inſtitutum meum ipſi plerique Stadenſes literati, & vitae ſuae operumque ſummam peramanter mecum communicarunt, quo certior eſſet ſcriptionis meae fides: quibus idcirco gratias, quantas decet, publice nunc perſoluo. A quibusdam vero, licet valde rogatis, nihil impetrare potui, ſiue quod modeſtiae religionem obtenderent, ſiue quod ambigerent, ſatiusne eſſet res ſuas taceri, quam ſibi ipſis diſplicituras commemorari. De his ergo vel tacendum fuit, vel in ſolo nominis indicio acquieſcendum. Pauci occurrunt viri celebres, quos Stada quidem continenter incolas non habet, Collegiis tamen ſuis annumerat, ac proinde non patitur a me praetermitti. Denique ab eo tempore, quo haec conſignare cœpi, tres ex omni numero e vita, vnus ex vrbe migrauit, quos tamen, opere iam prouecto, merentes in primis & non ignobiles, conſeruare potius, quam expungere aequum duxi. Ceterum ordinem literarum ſecutus ſum, ne quid fraudi eſſe poſſit vllius dignitati. Tu, Lector beneuole, faue conanti, & mea me aetate metire. Mihi quidem ſatis erit, ſi tuo iudicio tenuis haec opera, non tam reipublicae literarum vniuerſae, quam patriae ſaltem vrbi aliquomodo videatur inſeruiiſſe. Vale.

Digitized by Google

PRAESTANTISSIMO IVVENI

IOANNI HENRICO von SEELEN

S. P. D.

MICHAEL RICHEY

Gymnaſii Stadenſis Rector.

VT tibi rebusque tuis impenſe gratuler, Iuuenis florentisſime, non hodie demum mihi naſcitur occaſio, ſed nata dudum ac ſubinde eſt, poſteaquam tua apud nos virtus enitere cœpit. Habet enim profecto in te Gymnaſium noſtrum, quem tanquam egregium innocentiae, modeſtiae & incredibilis plane diligentiae exemplum oſtentare poſſit: adeo vt de antiqua ſua gloria nihil plane detractum iri confidat, quoad non defuturi ſint, qui tibi haud diſpares, matura aetate, & confirmata rerum ſcientia, verum illud eruditae & ad Academiam aptae iuuentutis decus tueantur. Cuius quidem praeſtantiae tuae inter omnes, qui te norunt, neminem fere habes magis conſcium, quam me, non praeceptorem duntaxat tuum, ſed hoſpitem etiam, & domeſticorum ſtudiorum in quintum annum moderatorem. Ab eo quippe tempore, quo te mihi propius adiunxiſti, meisque conſiliis, libris atque exemplo familiarius vti cœpiſti, tam peruicax in te optimarum literarum cupido ſe oſtendit, vt, licet amiciſſimus ſemper conuictus noſter fuerit, de eo tamen contentioſius quodammodo certare videremur, maiorne eſſe poſſet mea in erogandis tibi adminiculis facilitas, an tua, ſiue in adhibendis felicitas ſiue in aeſtimandis prudentia. Quo factum eſt, vt mature tibi ſordere inciperet miſerum illud & vndique circumciſum doctrinae genus, quo pleríque vulgo ad quaeſtum imbui cupiunt; contra vero id maxime placeret, quod ſolidum eſt, & ab idoneo apparatu inſtructum. Talis cum eſſes, non latuit laus tua Patronos, ſed te ex ſpeciminibus notum, & teſtimoniis noſtris crebro commendatum ita omnium fauor complexus eſt, vt certatim in te amando ac beneficiis proſequendo experiri viderentur. Nec dubito, quin *Stada* haec *Literata*, in qua primum publici conatus tirocinium ponis, talem ſe pleriſque probatura ſit, vt te non ſolum vrbi ſtudiorum tuorum nutrici pietatem & gratum animum teſtatum reliquiſſe, ſed nouis etiam nominibus fautores tibi obſtrinxiſſe, agnoſcant. Macte itaque animo, Iuuenis optime, & maiora indies aude: tuamque etiam *de* Ἰδιοβιογράφοις *Commentatiunculam*, ſimulac limam experta fuerit, prodire iube. Ego vero te, haud ſecus ac filium, a complexu dimitto, tibique in luce Academica mox verſaturo Deum porro ac bonos omnes cupio quam fauentiſſimos. Vale, Stadae, e muſeo, IV Non. Nouembr A. MDCCXI.

Joan-

Digitized by Google

A.

JOannes Vincentius ADLER *Juſtitiae Regiae, Iudicii Aulici, Feudorum Regiorum ac Iudiciorum Prouincialium per Ducatus Brem. & Verd. Secretarius.*

Patre *Ioanne Philippo* ADLER, eodem Secretarii munere ab anno 1662 vsque ad 1687 functo, ac matre *Suſanna Margareta von* SEITZ Stadae in lucem hanc eſt productus. Grauioribus ſtudiis decenti tirocinio praeluſit in Gymnaſio patrio: ex quo anno 1683 in Academiam Iuliam conceſſit, ac publicis Legum doctoribus ad annum vsque 1686 adhaeſit. In patriam cum reuerſus eſſet, & paulo poſt pater e vita migraſſet, itemque *Hempelius*, patris officium nactus, intra anni ſpatium obiiſſet, S. R. M. Suecica anno 1689 Secretarium Senatus Regii Iuſtitiae & Archi-Dicaſterii, vt & Feudorum Regiorum ac Iudiciorum Prouincialium in his Ducatibus clementiſſime eum conſtituit.

B.

Samuel BALDOVIVS *S.S. Theol. D. Conſiſtorii Regii in Ducatibus Brem. & Verdenſ. Conſiliarius & ad D. Mariae Paſtor.*

Natus eſt Neoburgi ad Viſurgim an. 1646. d. 15 Nouembris, qui erat dies Leopoldinus. Pater ipſi fuit M. *Ioannes* BALDOVIVS, Byrutho-Francus, Linguae Ebraeae P.P. in Academia Lipſienſi & Helmeſtadienſi, Superintendens inferioris Comitatus Hoienſis & Paſtor primarius Neoburgi ad Viſurgim, (vid. Witte Diar. Biograph. T.

Digitized by Google

II. ad A. 1662. Carol. Ioſeph. Imbonatus Biblioth. Latino-Hebr. pag. 397. qui ſcripta eius recenſet) in cuius effigiem Io. Saubertus Noribergenſis:

En tibi BALDOVII vultus, ſed nobile pridem
Ingenium egregie pinxit amoena Sais.
Scita Hebraeorum, Latii, Hellados, Euſebiaeque
Omnia in hoc ſpectant templa ſcholaeque viro.

Mater vero *Emerentia* GOSKY, filia *Martini* GOSKY, Sileſ. Med. Doct. Ducis Brunſu. & Luneb. Archiatri, Comitis Palatini Caeſarei & Poetae Imperialis, cuius *Arbuſtum vel Arboretum Auguſtaeum aeternitati ac domui Auguſtae Selemianne ſacrum,* quod collegit & ſuis ſumtibus A. 1650. fol. Guelpherbyti imprimi curauit, ſplendidum & inſigne opus dici meretur. Conf. Tentzel. Monathl. Unterred. 1693. pag. 569. ſqq. vbi fit mentio nouae editionis Brunſvvigae 1693. Scholam Regiam Bremenſem anno 1658 acceſſit & auſpiciis M. *Martini Neſſelii* Rectoris, M. *Io. Friſii* Conrectoris & M. *Henr. ci Kippingii* Subrectoris literarum ſtudiis ſtrenue in ea per ſeptem annos incubuit, cui ſcholae valedicturus orationem habuit *de Philautia laudabili.* Illuſtris quoque Gymnaſii, quod ibidem hodieque floret, ciuis per aliquod tempus fuit, eiusque doctores publicos, nominatim *Henr. Hipſtedium* in Hiſtoricis & *Henr. Wagenfeldium* in Logicis & Metaphyſicis ſedulo audiuit. An. 1665 Academiam Iuliam ſalutauit, Hermanno Conringio Rectore, ibidemque ductu *Chriſtoph. Schraderi* Eloquentiae, *Henr. Rixneri* Metaphyſicae, *Henr. Vffelmanni* Moralium, *Io. Sauberti* Hebraeae linguae, *Balthaſ. Cellarii*, *Frid. Vlr. Calixti*, *Gerb. Titii*, *Petr. Muſaei* & *Gerb. Meieri* Theologiae Profeſſorum per biennium Philoſophiae, Philologiae ac Theologiae ſtrenuam operam nauauit. Anno 1667 Lipſiam venit, receptus à *Thom. Stegero*, Theol. Lic. & Archidiacono tum temporis ad D. Thomae, ac *Sam. Langii*, *Hieron. Kromayeri*, *Io. Ad. Scherzeri*, *Frid. Rappolti*, *Io. Bened. Carpzouii* & *Io. Olearii* Collegia Theologica, lectoria, diſputatoria, homiletica & exegetica frequentauit. Quo eodem anno d. 13 Decembr. Baccalaureus creatus eſt, defenſa unica diſputatione de Αὐτοχειρίᾳ & dicta in ipſo Baccalaureatus actu oratione *de Ritu Depoſitionis*; ſequenti vero anno d. 30 Ianuar. ſummos quoque in Philoſophia honores eſt conſequutus, habita in Magiſterii actu Oratione Graeca metrica de

Καλο-

Καλοποιΐα ad Marc. VII. 37. Anno 1672 d. 29 Iun. vocatus eſt ex Academia Lipſienſi, praeuia quorundam excell. Profeſſorum commendatione, a Regimine Regio Stadenſi ad Subrectoratum Scholae Regiae Bremanae, confirmatusque ſolenni introductione in hoc officio a Dan. Ludemanno, SS. Theol. D. Superintend. & Scholarcha, dicto auſpicali ſermone *de Satanaeo Odio aduerſus Scholas.* Verum breui duntaxat tempore hanc ſpartam ornauit & an. 1673. d. 6 Aug. ſcholaſticis laboribus finem impoſuit oratione publica *de Moribus antiquis Stiloque Maiorum*, quippe d. 27 Iulii Sereniſſimo Duci Brunſuicenſi & Luneburgenſi FERDINANDO ALBERTO a confeſſionibus & concionibus aulicis eſſe iuſſus & Stadae a Dan. Ludemanno, Superintend. General. in templo D. Mariae ordinatus eſt. Concionem inauguralem d. 21 Septembr. Dom. XVII. poſt F. Trin. Beuerae ad Viſurgim habuit ex Marc. III. 13. 14. 15. quae eſt 1ma im Evangeliſchen Danck- und Denck-Büchlein. Viennam porro profectus eſt cum Sereniſſimo Duce ſuo, vbi Petrum Lambecium ſaepius conuenire ac Bibliothecam Caeſaream Vindobonenſem perluſtrare & cum Athanaſ. Kirchero (qui olim Sereniſſimum Principem ſuum, cum Romae degeret, inſtituerat) per literas colloqui ipſi licuit, ibidemque a d. 22 Iulii an. 1674 vsque ad d. 28 Septembr. an. 1675 vixit, ac deinceps Auſtriam, Hungariam, Bohemiam, Morauiam, Sileſiam, Saxoniam peragrauit, Dresdaeque commoratus Martino Geiero familiariter vſus eſt. An. 1676 d. 25 April. pro Licentia in Facultate Theologica inauguralem diſputationem Gieſſae defendit. An. 1683 d. 26 Iun. Paſtor primarius Stadanus ad DD. Coſmae & Damiani conſtitutus eſt, difficulter admodum a Sereniſſimo Principe ſuo dimiſſus. An. 1691 d. 2 April. ſumtus erogante laudato Principe ac Domino FERDINANDO ALBERTO, in inclyta Gieſſena, Rectore Frid. Nitſchio I. V. D., Promotore ac Decano Phil. Lud. Hannekenio D., ſupremis in Theologia honoribus & Doctoris titulo fuit inſignitus. Demum an. 1699 d. 11 Martii a Clementiſſimo Rege noſtro CAROLO XII vocatus eſt ad paſtoratum D. Mariae & aſſeſſoratum Regii Conſiſtorii in Ducatibus Brem. & Verdenſ., quae munia grauiſſima, faxit Deus, diu gerat ac feliciter.

Digitized by Google

Scripta.

Diſputatio Logica de Syllogiſmo. Brem. 1665. 4. pl. 3½. Praeſ. Henr. Wagenſeldio.

Diſputatio Metaphyſica de Perſona. Helmeſt. 1667. 4. pl. 3. Praeſ. Henr. Rixnero, quam, abiturus ex Alma Iulia, elaborauit atque examini ſubmiſit.

Diſſertatio Hiſtorico-Philoſophica de variis Transmutationum Subſtantialium Generibus. Lipſ. 1667. 4. pl. 4½. Praeſ. Valentino Alberti.

Filii Dei, hominis ex homine nati, Salutifera Genethlia carmine Heroico adornata & Athenis Philureis A. MDCLXVII. d. 24 Decembr. memoriter celebrata. Lipſ. 4. pl. 2.

Diſputatio Inauguralis Theologica de Induratione. Gieſſae. 1676. 4. pl. 4½. Praeſ. Io. Nicol. Miſlero.

Exercitatio Philologico-Theologica de SS. vnius veri Dei Trinitate Perſonali, vera, eſſentiali & aeterna diuinitate Ieſu Chriſti Filii Dei, & Spiritus S. in Deo perſonali exiſtentia ex V. T. probanda Adamo Goslauio A Bebelno Ariano Polono oppoſita, qui clariſſima locorum quorundam S. teſtimonia eludere & euertere conatus eſt Lib. IV & V. Refutat. eorum, quae Barth. Keckermannus in lib. 1. Syſtemat. Theol. aduerſus Arianos diſputauit. Declaratur Scripturae S. veritas & monſtrantur blaſphemae Arianorum abſurditates. Gieſſae. 1676. 4. pl. 9. Vindicat atque explicat in hac Exercitatione S. Scripturae loca: Gen. I. 2. 26. III. 22. XI. 7. Ierem. XXIII. 6. 1. Sam. XII. 18. Exod. XIV. 31. Pſal. II. 7. 1. Sam. XVIII. 10.

Polyanthea Auguſtaea aus Eſ. XXXVIII. 5. am Gebuhrts-Tage des Durchlauchtigſten Fürſten und Herrn FERDINAND ALBRECHT Hertzogen zu Braunſchweig und Lüneburg den 22 Maii A. 1677. Gieſſen. fol.

Ars diſcurrendi beate viuendi ex Iac. IV. 11 ſqq. am Gebuhrts-Tage deſſelben A. 1678. Gieſſen. fol.

Fultura in Preſſura, oder die Sorgen-Seule am Gebuhrts-Tage deſſelben den 22 Maii. 1679 aus Iob. X. 1-13. errichtet. Gieſſen. fol.

Der beſte und feſte Hertzogs-Stab / So GOttes Hülffe bis ins Grab / oder Gebuhrts-Tags Predigt ex Pſ. LXXI. 4-13 bey demſelben An. 1680 gehalten. Bevern. fol.

Bonus

Digitized by Google

Bonus Dies, Vitae Quies oder Gebuhrts-Tags Predigt ex Pſ. CII. 24. 25. bey demſelben A. 1681 zu Bevern gehalten. Bremen. fol.

Diuum ſemper Viuum oder Gebuhrts-Tags Predigt ex Eſ. LI. 1-8. bey demſelben zu Bevern A. 1682 gehalten. Bremen. fol.

Sanctiſſima Signa Salutis, die heiligſte Zeichen des Heyls/ des beſten und löblichſten Theils an Deſſelben XLVIII Gebuhrts-Tage aus Pſalm. LXXXVI. 11-17. d. 22 Maii 1683 in Bremen gezeiget. fol.

Das weibliche Geſchlecht und ihr himmliſches Erb-Recht ex Gal. III. 26 ſqq. bey der Tauffe SOPHIA ELEONORA (Canoniſſa Gandersheimenſi, quae obiit d. 16 Ian. A. 1711. & ſcripſit Geiſtliche Lieder über die Blutvergieſſung Chriſti JEſu. Wolffenb. 1696. 8.) 1674. fol.

Das Dornen-Stechen und Roſen-Brechen ex Io. XVI. 21. bey dem Kirchgang der Frau Mutter CHRISTINA den 14 April. 1674. Gieſſen. fol.

De Theodoris & Dorotheis von Liebes Pfänden aus GOttes Händen ex Pſ. CXXVII. 3. bey der Tauffe CLAVDIAE ELEONORAE den 3 December. A. 1675. Gieſſen. fol.

Seegens-Thau ex 1. Paralip. XVIII. 27. bey dem Kirchgang der Frau Mutter CHRISTINA zu Eſchwege. Gieſſen. fol.

GOtt nimmt GOtt giebt/ wies ihm beliebt ex Iob. I. 21. in einer Trauer-Predigt bey CLAVDIAE ELEONORAE Abſchied. Gieſſen. fol. 1676.

Das Kinder-Spiel GOttes ex Pſ. VIII. 1-6. in einer Leich-Sermon bey der Abführung des Fürſtlichen entſeelten Leichnams CLAVDIAE ELEONORAE von Bevern nach Braunſchweig d. 25 Septembr. 1676. Gieſſen. fol.

Eröfnung des höchſten Mutter-Hertzens ex Eſ. LXVI. 5-14. bey der Tauffe AVGVST FERDINAND den 30 Decembr. A. 1677. Bevern. fol. Hunc optimum Principem & virtutibus magno heroe dignis abundantiſſime ornatum, glorioſaque morte in proelio Schellenbergico prope Donaverdam ter nono aetatis anno, adeoque in tertio climacterico an. 1704. d. 2 Iul. defunctum noſter Stadae per aliquod tempus in patriae ingentem ſpem praeformauit.

Digitized by Google

Die Seegen-volle Körbe / Der Frommen Gut und Erbe ex Deut. XXVIII. 4-8. bey dem Kirchgang der Fr. Mutter den 2 Febr. 1678. Bevern. fol.

Vnio Chriſtus, Eins ſonſt Keins ex Act. IV. 12. bey der Tauffe FERDINAND ALBRECHT, iun., den 23 Maii. 1680. Bevern. fol.

Augen-Troſt auf den Bergen ex Pſalm. CXXI. tot. bey dem Kirch-Gang der Fr. Mutter den 24 Iun. 1680. Bevern. fol.

Frons Aperta, das Fröliche Angeſicht / das Feine Augen-Licht an FERDINAND ALBRECHT iun. bey ſeinem Geburts-Tage den 19 Maii. 1682. aus Pſ. C. gerühmet. Bremen. fol.

Iris in Viris & Miris der Regen-Bogen in zween Hertzogen / des Wunderlichen im Frucht-Bringen (Ferdinandi Albrechti Sen. qui in ſocietate fructifera nomen des Wunderlichen obtinuit) der Durchleuchtigſten Printzen FERDINAND CHRISTIAN und ERNST FERDINAND, welche den 4 Martii 1682 zu Oſterholtz gebohren / und den 7 eiusd. daſelbſt getaufft ſind / aus Pſ. CXXVII. 4. 5. mit Verwunderung angeſehen. Bremen. fol.

Frontale Sacerdotale Das Prieſterliche Stirn-Blat ex Num. VI. 22. ſqq. bey dem Kirch-Gang der Fr. Mutter den 7 Apr. 1682. Bremen. fol.

Saccharea Sionaea Citrina Ferdinandina Albertina Chriſtina bey der Tauffe HENRICH FERDINAND den 18 Apr. 1684. ex Eſa. XLIX. 14. 15. 16. in Bremen fürgeſtellet. Bremen. fol.

In Pſalm. I. Meditatio die Alberti an. 1682. 24 April. ſub tit. *Bini Albertini Diuini*, Die zwey Albrechten / die GOtt zur Rechten. Bremen. fol.

In Pſalm. XIV. Meditatio die Sophiae an. 1682. 15 Maii ſub tit. *Vera Sophia & mera Maria*. Bremen. fol.

In Pſalm. XV. Meditatio die Chriſtinae an. 1682. d. 24 Jul. ſub tit. *Diuina Chriſtina Iuſtina*, Chriſtina die Gerechte von Göttlichem Geſchlechte. Bremen. fol.

In Pſalm. LVII Meditatio die Alberti an. 1683. ſub tit. *Albertinum Octonarium Diuinum Armamentarium*. Bremen. fol.

In Pſalm. LXXII Meditatio die Ferdinandi an. 1682. 19 Octobr. ſub tit. *Fons Salutis*. Bremen. 1683. fol.

In

Digitized by Google

In Pſalm. CVIII Meditatio die Erneſti ſub tit. Die beſte Feſte. fol.

In Pſalm. CXLIX. Meditatio die Chriſtiani an. 1682. d. 3 Apr. ſub tit. *Fortis Chriſtianus*. Bremen. fol.

In Pſalm. C. CI. CXXII. CXXXIV Meditationes.

Trauer- und Freuden-Fahne dem Durchlauchtigſten Fürſten und Herrn AVGVST FRIDERICH H. zu B. und L. Röm. Käyſerl. Majeſt. geweſenen Hochbeſtalten Obriſten über ein Regiment zu Fuß/ Hertzogs ANTON VLRICH, ietzo regierenden Herrn/ älteſten Sohne/ welcher an. 1676 den 9 Aug. vor Philipsburg tödtlich bleſſiret/ den 22 eiusd. zu Speyer verſchieden/ aus 2. Chron. XXXV. 23.24. am 25 Septemb. zu Bevern vor und nach getragen. Wolffenb. 1676. fol.

Evangeliſches Denck- und Danck-Büchlein. Bremen. 1674. 8.

Glocken-Spiel ex Pſalm. XXVII. 4. bey Einweihung einer Glocken in der Schloß-Kirchen zu Bevern.

Reiſe-Büchlein in unterſchiedlichen Predigten. Gieſſen. 1676. 12.

Arx Chriſtiana Selenæ Amœna: Die Chriſtinen-Burg aus Pſalm. XXXVII. 32 - 40 gewieſen und geprieſen. Bevern. 1677. 4.

Die allerlöblichſte Rechts-Erfahrung und Rechts-Bewahrung ex Coh. I. III. 16. 17. in gewöhnlichen Wochen-Predigten fürgeſtellet. Bevern. 1678. 4.

Pathetica Portoſ opia Nuthetica Die Unglücks Pforte am hohen Orte beſchauet aus Ierem. IX. 1 - 9. am Faſt- und Bet-Tage. Bevern. 1678. 8

Hütten-Andachten ex Pſ. CXX 5. 6. 7. Bevern. 1679. 8.

Friedens Müntze am Friedens-Feſte an. 1679. d. 2 Novembr. ex Iac. III. 3 ſqq. Bevern.

Die Treue GOttes bey Hochanſehnlicher Leichbeſtattung der Wollgeb. Fr Otilia Maria von Liſſenhaim / geb. von Fraatz / des Wollgeb. Herrn Samuel Chriſtophori von Liſſenhaim / Ihr. Königl. Majeſt. zu Schweden in Dero Hertzogthümer Bremen und Verden Hochbetrauten Regierungs-Rahts hertzlich-lieb geweſenen Ehe Genoſſinn aus 1. Co . X. 13. den 4 Iun. 1706 vorgeſtellet. Stade. fol.

Metrice conſcripta.

Evangeliſches und Epiſtoliſches Gebet-Kämmerlein. Gieſſen. 1676. 12.

Poeti-

Poetiſcher Geiſtlicher Luſt-Gärten 2 Theile. Gieſſen. 1676. 12. P. II. ibid. 1677. 12.

Der ſüſſe JEſus-Nahme beſchrieben und zum Neuen Jahrs Geſchenck überreichet. Caſſel. 1676. fol.

Neu-Jahrs Anfang mit JEſu Chriſti Ehrenklang und GOttes-Menſchen Lobgeſang. Bevern. 1678. fol.

Gebet-Cymbeln. Gieſſen. 1681. 12.

Die Edle Himmels-Docke/ in ſchön-verblümten Rocke/ wies GOtt ge-gefällt/ ſo vorgeſtellt. Das iſt: Lob-Gedicht der wahren Gottesfurcht mit Anacreontiſchen Reimen abgeſungen. Bremen. 1682. 8.

Chriſtlicher Zeit-Vertreiber. Bremen. 1683. 8.

Weyhnacht Andacht bey Anfang des 1684 Heil-Jahres geführet/ und ſieben Durchl. Perſohnen überreichet. ibid. 12.

Heiliger Feſt-Schmuck. ibid. 1686. 8.

Evangeliſches Blumen-Sträuchlein. ibid. 1687. 8.

Evangeliſches Neu-Jahr Büchlein. ibid. 8.

Geiſtl. Saur-Brunn voller Glückwünſchungen. Bevern. fol. 1677.

Heilige Krippen und Wolfahrts Lippen. 4.

Edenda.

Aenigmata Euangelica oder Evangeliſche Rätzel/ auffgegeben und auffgelöſet aus denen Euangeliis in der Schloß-Kirchen zu Bevern.

Eitelkeit und Ewigkeit über den gantzen Prediger Salomo in wöchentlichen zehnjährigen Predigten am Beveriſchen Hofe vorgeſtellet.

Pathologia Sacra V. & N. T. in qua elaboranda nunc verſatur.

Von GOttes Hertz/ Mund und Hand ex dictis Biblicis.

Chriſtianus Ioachimus BALDOVIVS *I. V. Candidatus.*

Pl. Rev. Samuelis, de quo modo diximus, filius, natus eſt Stadae 1688 d. 10 Aprilis. In Gymnaſio noſtro artibus humanioribus probe excultus, poſt orationem publice habitam *de Suecorum gloria ex eruditione*, Roſtochium adiit anno 1707, ibidemque Iuris vtriusque peritiam ſibi comparauit. Vnde poſt annos duos cum dimidio in patriam redux, officia ſua reipublicae paratiſſima offert.

Auſpiciis

Digitized by Google

Auſpiciis celeb. *Schoepfferi*, cuius familiaritate & conuictu Roſtochii vſus fuit, habita ab eo eſt *Diſſertatio Iuridica de Culpa Lata Miniſtri Status*, 1709. 4. pl. 5. cuius ſumma capita delibant Nou. Lit. Germ. 1709. pag. 276 ſq.

Ioannes Chriſtophorus BAVTZMANNVS *Doctor, & S. R. M. Suecicae in Ducatu Bremenſi & Verdenſi Medicus.*

Patria Hamburgenſis, lucem vidit an. 1645. d. 5 Octobris, patre *Chriſtophoro* BAVTZMANNO, Med. Doctore, matre *Margareta* GERDES. Prima literarum rudimenta poſuit in oppido Otterndorff, quod parens in terram Hadelenſem medicinae faciendae cauſa vocatus eſſet. A. 1652, cum Adolphus Fridericus, Mecklenburgenſium Princeps patrem ad ſe Archiatrum accerſeret, Suerinum commigrauit filius, ibique, quantum per valetudinem ſubinde afflictam licuit, in bonis literis diſcendis perrexit. Inde mortuo Principe, an. 1658 cum patre ad officium Medici Regiminis in ducatu Bremenſi a potentisſimo Rege Sueciae CAROLO GVSTAVO vocato, Stadam peruenit, & in florentisſima huius vrbis ſchola, quam tunc *Io. Phil. Tonſor* regebat, a claſſe ſexta ad tertiam vſque emeriit. Inde, cum mater dilecta an. 1665 e viuis exceſſiſſet, ſuadentibus amicis, Arnſtadium in comitatu Schvvartzburgico a parente miſſus & M. *Andr. Stechani*, ſcholae illius Rectoris, curae traditus eſt. Anno autem 1666 Erfurtum (parentis ſui patriam) abiit, ibique albo ſtudioſorum ſub Rectoratu *Philippi Ludouici*, Liberi Baronis in Reiffenberg, tunc temporis Regiminis Erfurtenſis Praeſidis, & Subrectoratu M. *Nicolai Stengeri* P. P. & Miniſterii Euangelici Senioris d. 7 Nouembr. inſcriptus eſt. Philoſophos in primis docentes diligenter audiuit: donec anno inſequente d. 26 Maii Ienam perrexit, & ad ſtudium Medicum totum ſe contulit, *Rolfincii*, *Schenckii* & *Friderici* praeceptis atque inſtitutione vſus. Cum annum ibi exegiſſet, inopinato auocatus eſt, ob patrem ex fracto crure grauiter decumbentem. Neque vero domi otioſus degit, ſed a patre paululum reſtituto Chemicis laboribus adhibitus, & probe in iis exercitus eſt. Sic exacto biennio, cum pater ob idem cruris vitium ad Thermas Embſenſes

iter habere cogeretur, filius an. 1670, menſe Iulio Kilonium profe-ctus eſt, & rebus Medicis, auſpiciis & ductu Doctorum clariſſimorum *Caſparis Marchii* ac *Io. Dan. Maioris* operam porro ſtrenue impendit. Inde an. 1671 Lugdunum Batauorum ſe contulit, cumque ibi ex ſcholis Medicorum celeberrimorum *Franciſci de le Boy Sylvii*, *Caroli Drelincurtii*, *Lucae Schachtii*, *Arnoldi Sien*, *Caroli Maets* & *Chriſtiani Marggrafii* praeclara quaeuis hauſiſſet, an. 1673 Medicorum ordini tentandum ſe commiſit, & habita abſque praeſidio diſputatione publica d. 9 Iunii Doctor Medicinae renunciatus eſt. Eiusdem anni d. 5 Septembr. Patauium contendit, itineris comitem nactus *Io. Frid. a Cappeln*, Med. Doct. & nunc Phyſicum Bremenſem. Ibi clariſſimos viros *Anton. Molinettum*, *Hieronym. Frigimelicam*, *Antonium* & *Dominicum de Marchettis* audiuit, cadauerum ſectionibus eorum manu ſaepe factis interfuit, & noſocomium Diui Franciſci Maioris crebro viſitauit. Exacta hyeme nobiliſſimas Italiae vrbes Venetias, Vicentium, Veronam, Mantuam, Ferraram, Bononiam, Anconam, Lauretum, Romam, Neapolim luſtrauit. Hinc conuerſo itinere Siennam, Florentiam, Luccam, Piſam, Liburnum, Genuam, Mediolanum aliaque loca inuiſit, delatus tandem Baſileam. Quamquam vero Galliam quoque & Angliam peragrare cogitabat, a copiis tamen Caeſareanis & Gallicis omnem Baſileae viciniam inſidentibus impeditus, ibique ſubſiſtere aliquantulum coactus eſt. Quae mora ne inutilis eſſet, doctores publicos audiendo tempus conſumſit. Donec Argentoratum abiret, vnde quidem Rheno flumine in Belgium deſcendere animus erat, ſed ob itineris difficultatem conſilium mutandum, & per Germaniae vrbes Tubingam, Stutgardiam, Norimbergam, Lipſiam, Wittebergam & Magdeburgum in patriam reuertendum fuit. Cui an. 1674 redditus, totum ſe ad Medicinam faciendam contulit, ampliſſimam occaſionem nactus, cum an. 1675 & 76 Ducatus Bremenſis hoſtium copiis obnoxius eſſet, & Stada obſidione premeretur. Qua vrbe a Suecis relicta & Luneburgenſibus tradita, noſter an. 1676 d. 22 Auguſt. a Celſiſſimis Principibus GEORGIO WILHELMO & RVDOLPHO AVGVSTO Medicus praeſidiariorum delectus eſt. Cumque illo tempore febres petechiales & dyſenteriae non ciues minus & ruſticos, quam milites vexarent, iuſſu Regiminis modum publice praeſcripſit & euulgauit, quo morbi

morbi iſti vel prohiberentur, vel tollerentur. Mortuo patre an. 1678 coniugium iniit cum *Anna Chriſtina*, *Hieronymi Oldeborſtii* Praefecti Saxo-Lauenburgici in Otterndorff filia vnica, & nuptiis d. 24 Septemb. celebratis, improlis cum ea vixit vsque dum ipſa obiret an. 1680 d. 28 Decembr., moerore confecta ob paternam haereditatem Duci Saxo-Lauenburgico relictam, & maritum per quatuor fere menſes in cuſtodia detentum. Interea noſter an. 1679 d. 16 Septembr., cum Ducatus Bremenſis Suecis reſtitutus eſſet, a potentiſſimo Rege CAROLO XI officium Medici Regii, quod pater habuerat, capeſſere iuſſus eſt. Secundas nuptias parauit an. 1682 d. 25 April. cum *Anna Catharina*, *Petri Breyeri*, ciuis Hamburgenſis, filia, cum qua adhuc, licet ſine ſobole, tranquillam agit ſenectutem.

Scripta.

Diſputatio Inauguralis de Peſte. Lugd. Batau. 1673. 4. pl. 3.

Eilfertige Gedancken / betreffend die ietzo häuffig im Schwang gehende Fieber / auff Befehl Fürſtl. Braunſchweig-Lüneburg im Hertzogthum Bremen verordneter Regierung / der Fürſtlichen Milice und Hausleuten auff dem Lande zur Nachricht wolmeinentlich entworffen. Stade. 1679. 4. pl. 1.

Obſeruationes variae in Miſcellaneis Naturae Curioſorum, quae ſunt:

Decur. II. An. IV.

De Morte ex ſuppurato teſticulo muliebri. pag. 95 ſq.

An. VIII.

De Melancholia vterina periodica. pag. 115 ſq.

Laudanum Opiatum purgans. pag. 117.

Quartana nouennis. pag. 118 ſq.

De Arthritide Tertiana. pag. 120 ſq.

De Haemorrhagia vteri in ſeptuagenaria ſalutari. pag. 121 ſq.

De noxio Mytulorum eſu. pag. 122.

De Vinorum quorumcunque ac Aceti aemulatione & Farina triticea multiplicanda. pag. 123-130.

De Molis ex Hydatibus conflatis abortum inſecutis. pag. 130. ſq.

De Fuſtigatione cum Scuticae baculo lethali. pag. 132 ſq.

De Pyris monſtroſis. pag. 134.

Digitized by Google

Decur. III. An. VII & VIII.

De Puluere dato ad extorquendam incendiarii confeſſionem. pag. 39.
De Foetu in vtero exſiccato. pag. 40.
De Morbo ex incantatione mirabili. pag. 41.
De Pene monſtroſo. pag. 49.
Dyſuria extincti Anatome. pag. 50.
De Verme in Lapide reperto. pag. 51.
De Secali temulento. pag. 52.
De Sciuro albo, mortis nuncio. pag. 53.

An. IX. & X.

De Morte ex vulnere inteſtini recti. pag. 416.
De Menſium fluxus immodici remedio. pag. 417.
Anatome crapula defuncti. pag. 418.
De Morte ex nimia Panis ingurgitatione ſubitanea. pag. 421.

Vernünfftiges Urtheil von den Tödtlichen Wunden / zu Nutze der Chirurgorum, bey denen Arméen, auff dem Lande / und in kleinen Oertern. Darinnen zu finden / wie ſie ſich in Viſitirung der Entleibeten betragen / ein vernünfftiges Urtheil fällen / und ihre Atteſtata einrichten ſollen. Stade 1711. 12. pagg. 120.

Ioannes Georgius BEKHOF I. V. L., *Fiſci Regii in Ducatibus Brem. & Verd. Commiſſarius.*

Stadae natus eſt anno 1661 d. 9 Jul. ſt. v. patre *Henrico* BEKHOF Senatore & Camerario, matre *Margareta* BORNEMANNIA. Scholae patriae diſcipulis ad annum vſque 1681 continenter interfuit, niſi quod an. 1674 ob belli turbas Hamburgum conceſſit. Academicum iter ingreſſus eſt anno 1681 & in Almam Iuliam ſe contulit, quam ob peſtilentiam vicina loca iam attingentem mox cum Viadrina permutauit, in qua ad annum vſque 1684 fuit commoratus. An. 1685 Traiectum ad Rhenum adiit & anno ſubſequente Lugdunum Batauorum inuiſit. Hinc redeuntem Angliam & Galliam videndi cupido inceſſit, quas cum perluſtraſſet, inque iis notatu digniora obſeruaſſet & I. V. Licentiati honores conſecutus eſſet, in patriam remeauit. Aduocatis Dicaſteriorum Regiorum adſcriptus eſt

Digitized by Google

eſt an. 1697, & in numerum Ordinariorum 1698 receptus. Munia Commiſſarii Fiſci Regii in vtroque Ducatu anno 1708 ipſi ſunt demandata.

Pro Licentia in vtroque iure habuit d. 24 Decembr. *Diſputationem de Poenitentia Iuridica.* Aureliae. 1687.

Georgius BENTEN I.V.L. *& Reipublicae Stadenſis Conſul.*

Aſpexit lucem in territorio Ducum Brunſuico-Luneburgenſium anno 1639 d. 22 Octobris. Patre orbatus eſt, cum quintum aetatis annum ageret. Mater interim Bremae ciuis facta, adhibitis prudentiorum conſiliis, ſcholae Bremanae filium commiſit. Cuius ſex claſſes cum peragraſſet, anno aetatis 18 Gymnaſio Academico, quod ciuitatem illam hodieque illuſtrat, nomen dedit, & vltra quatuor annos lectiones publicas tam ad philoſophiam (praeſertim practicam) quam iurisprudentiam ſpectantes audiuit. Acquiſitam ibi iuris cognitionem vt magis magisque augeret, Ienam porro per triennium magiſtram habuit. Tum vero, ſuadentibus nonnullis viris ſummis, Stadam noſtram ad excolendam praxin Iuridicam conceſſit, & inter eos benigne receptus eſt, quibus in Dicaſteriis Regiis cauſarum patrocinium conceditur. Hac impetrata facultate, e re ſua duxit Licentiam quoque Doctoralem ambire: quam obtinuit an. 1669 m. Maio in Academia Haſſo-Schaumburgica, cum more conſueto eſſet tentatus, & in palaeſtra Iuridica decertaſſet. Anno 1676 adſcitus eſt in Senatum Stadenſem, demandata ipſi Syndici prouincia. Hanc cum per bene multos annos ornaſſet, anno 1704 die Martini ad Conſulatum adſcendit.

Thema Inaugurale fuere *Poſitiones Iuridicae* XLVII ex iure tam publico, quam priuato excerptae, quas Praeſide *Bernhardo Schultzen* publice defendit. Rinthelii 1669. 4. pl. 2.

Nicolaus Henricus BENTEN *Iudiciorum Regiorum in Ducatibus Brem. ac Verd. Aduocatus.*

Digitized by Google

Filius *Georgii* BENTEN, Conſulis, vitam auſpicatus eſt Stadae an. 1678 d. 14 Aprilis. Philoſophia artibusque liberalibus in Gymnaſio patrio imbutum anno 1697 m. Octobr. florentisſima, quae ad Salam eſt, Academia accepit. Profeſſus in ea nomen ſuum inter Themidis alumnos, praeſtantisſimis iuris doctoribus, praeprimis Illuſtr. *Lynckero* Lib. Bar. vt & Magnif. *Io. Chriſtian. Schroetero*, Anteceſſori celeberrimo, ſe addixit, & horum auſpiciis curſum iuridicum trium annorum ſpatio abſoluit. In patriam inde an. 1700 ineunte menſe Nouembri reuerſus ad praxin fori animum applicuit, annoque 1702 d. 4 Octobr. in numerum eorum receptus eſt, qui in Dicaſteriis Regiis apud nos cauſas defendunt.

Expoſuit, valedicturus Gymnaſio noſtro, die CAROLINO disquiſitioni publicae A. & R. *Diſſertationem Hiſtorico-Politicam de Variis Reipublicae Romanae Formis a prima eius origine ad haec vsque tempora*, Praeſ. *Tob. Eckhardo*, Gymn. Rectore. Stadae. 1697. 4. pl. 4½.

M. Petrus BRENNER *militum praeſidiariorum Paſtor.*

Natione Suecus, in lucem editus eſt anno 1677. Studiis literarum cum per nouennium in variis Academiis Suedicis incubuiſſet, a Funckio Duce Bellico an. 1701 Rigam accerſitus eſt, & duos annos ibi ſubſtitit, ſacris in legione Funckiana faciendis praefectus. Anno 1703 Naruam venit, praeſidii, quod vrbi iſti impoſitum erat, Paſtor deſignatus. Expugnata anno 1704 Narua, captiuus vna cum aliis Moſcuam deductus eſt. Anno autem inſequente ex ipſo carcere inopinato euocatus eſt ad ſacrum miniſterium obeundum in coetu Euangelico oppidorum Aſoph & Taganrok in finibus ad Paludem Maeotidem ſitorum, annuente Ger. Lud. Stock, Chiliarcha Moſcouitico, natione Germano, cui Eccleſia Maeotica iſtud negotii dederat. Eo ſacerdotio per quatuor annos functus fuerat, quum denuo, iubente Moſcorum Imperatore, non ſine maximo coetus ſui deſiderio, Moſcuam reductus in grauem cuſtodiam abriperetur. Deprecante vero Bart. Vagetio Th. Lic. & Praeſule Euangelicorum, qui Moſcuae ſunt, ſupremo, liberatus, nec multo poſt ab Eccleſia antiquiori Lutheranorum in eadem vrbe ad curam ſacrorum aſcitus eſt. Donec an. 1710 capta a Moſcis Riga, illuc accerſeretur,

Digitized by Google

ſeretur, ad munus Paſtoris in aede D. Iacobi obeundum. Relicta igitur Moſcua, Rigam an. 1711 conceſſit, nouoque officio ſe accinxit. Sed nec ibi diuturna ſtatio fuit, Moſcis nimirum ea imperantibus, quae ipſe quidem illaeſa conſcientia ſibi non cenſuit explenda. Quamobrem Riga quoque cum abeundum fuiſſet, Stadam tandem felicibus auſpiciis delatus eſt, ibidemque, dum melior ſpes affulſerit, pro diuturni carceris ſolatio, militibus praeſidiariis Paſtor praefectus.

Scripta.

Carmen Votiuum in Natalem Regis CAROLI XII. Aboae. 1698. fol. pl. 5.

Diſputatio Theologica ſiſtens Meditationes Sacras in Litaniam. Aboae. 1698. 4. pl. 3. Praeſ. *Olao Moberg.*

Diſputatio Philoſophica pro gradu Magiſterii: An Poëſis ſit vtilis? Praeſ. *Dan. Sarconio.* Pernau. 1699. 4.

Ad prelum parauit & mox publici iuris faciet Anmerckungen allerley Antiquitaeten und ſonderbahren Sachen um den Paludem Maeotidem, nebſt der Beſchreibung von den Städten Aſoph und Taganrok.

Ludolphus BVSCH *Reu. Miniſterii Candidatus.*

Winſenae ad Luam an. 1675 natus, ſcholas Luneburgenſem & Hannoueranam frequentauit. Anno 1695 adiit Ienam, vbi *Bechmannum* & *Hebenſtreitium* Theologiam, *Treunerum* philoſophiam docentes audiuit. An. 1698 Helmeſtadium acceſſit, ibidemque *Schmidii*, *Fabricii* & *Schrammii* fuit auditor. Halae quoque per dimidium fere annum commoratus eſt, ibidemque *Michaelis* ſcholas Hebraicas inuiſit.

M. Ioannes Erneſtus BVTTNERVS *Paſtor ad S. Nicolai primarius.*

Natus eſt in Luſatia inferiori an. 1648 ipſo Paſchatos die, qui erat $\frac{2}{12}$ Aprilis. Optimorum parentum, patris M. *Matthaei* BVTTNERI, tum temporis Paſtoris Fridersdorffenſis prope Kirchhaynam, matris vero *Chriſtinae*, *Iacobi* WEBERI, Conſulis Senftenbergenſis filiae

Digitized by Google

filiae vnicae, voto ac cura ſtudiis conſecratus, prima literarum fundamenta iecit in ſchola Liebenvverdenſi, in quam an. 1654 eſt ablegatus; & Kirchhaynenſi, quam an. 1655 parentum iuſſu adiit, ibidemque biennio exacto domum a parente, qui locum interea mutauerat, reuocatus, vitae bene actae teſtimonium *Ioachimi Bötticheri*, Rectoris, ſecum afferens, priuatae poſtea hominum Academicorum informationi eſt commiſſus. Anno 1663. d. 12 Aprilis Budiſſam, Luſatiae ſuperioris metropolim, ſalutauit, celeberrimaeque illius loci ſcholae, Rectore M. *Io. Theillio* P. L. C. adſcriptus eſt. Quare etiam non immerito inter viros clariſſimos, qui ex Budiſſinenſi Gymnaſio prodieruut, refertur a Godofr. Ludouici P. II. der Schul-Hiſtorie pag. 286. Commoratus in ea integrum quadriennium ſexies e cathedra ſcholaſtica publice dixit, ſeque ſermone tam libero, quam metri legibus adſtricto, tam Graeco quam Latino diligenter exercuit. Dicto tandem vale, duplici Rectoris laudati teſtimonio, ſcripto altero, altero typis publicis excuſo, munitus, Ienam an. 1667 propridie Kalendas Iulii peruenit, vt ſtudia feliciter coepta in hac Muſarum ſede perficeret. Vitam ibidem per nouennium & quod excurrit probe ac ſumma cum laude egit: cuius rei fidem facit egregium teſtimonium, quod ab ordine Theologorum ipſi datum, & typis publice exſcriptum legitur. Philoſophiae partes fere omnes vna cum linguis orientalibus edoctus eſt a *Fridem. Bechmanno, Erh. Weigelio, Io. Andr. Baſio, Caſp. Posnero, Georg. Goezio, Io. Chriſtoph. Hundeshagio, Io. Frid. Nicolai, Io. Crauſio, Io. Schmidio* Nordling. P. L. C. & *Carol. Caſſa.* Theologiam hauſit ex lectionibus tam publicis, quam priuatis *Io. Muſaei, Io. Ern. Gerhardi, Sebaſt. Niemanni* & *Fridem. Bechmanni.* Ductu quoque *Georg. Goezii* & *Philippi Mülleri* oratoriae ſacrae operam nauauit. Anno 1669 IV. Id. Auguſt. ſummos in Philoſophia honores, Decano & Brabeuta *Io. Friſchmutho*, conſequutus eſt, gemina habita diſſertatione, altera, quam praemiſit, *de Eſſenis, in qua inter alia non pauca Fl. Ioſephi loca expenduntur, colluſtrantur & emendantur; ſimul* φλυαρίᾳ *Nic. Serarii, aliorumque circa hoc argumentum errores exploduntur atque diſcutiuntur* ſub praeſidio M. *Eberh. Rudolphi Roht*; altera vero, quae promotionem mox eſt ſequuta, *de Nomine Meſſiae glorioſo, Iehoua Iuſtitia noſtra ex Ierem. XXIII, 6.* quam moderante laudato ſuo promotore *Ioanne Friſchmutho* publice

cum

cum eruditorum applauſu Reſpondens defendit. Cathedram quoque ſuperiorem permiſſu Ampliſſ. Collegii Philoſophici conſcendit, & ſcholas commilitonibus aperuit. *Societati Diſquirentium*, quae in illuſtri Salana ſub praeſidio Magnif. *Schilteri*, Polyhiſtoris egregii, poſtea floruit, menſe Auguſto an. 1672 auſpiciis *Boſianis* conditae operam ſuam addixit, & tunc temporis eius Senior fuit. Ex Academia Ienenſi Lemgouiam Weſtphaliae oppidum vocatus eſt an. 1676 menſe Auguſto ad Gymnaſii Conrectoratum, vbi menſes quidem tantum XVII iuuentutem docuit, bis tamen publice diſputauit. Anno 1677 menſ. Decembr. ad Gymnaſium noſtrum Stadenſe eſt accerſitus, & Conrectoris in eo munus menſe Februario anni ſequentis felicibus auſpiciis obiit. Quo in labore ſcholaſtico cum ſudaret, eccleſiaſtica quoque ſparta ipſi vna eſt demandata (non vero prius Rectoris officio functus eſt, vti minus recte tradit Cl. Ludouici l. c.) quippe an. 1685 d. 19 Auguſti Diaconus ſeu Eccleſiaſtes S. Aedis Nicolaitanae eſt electus. Vtrumque munus & ſcholaſticum & eccleſiaſticum ſuſtinuit coniunctim vsque ad annum 1691. in cuius examine Michaelitico publice Gymnaſio valedixit, ſolumque Diaconatum geſſit. Tandem anno 1699 M. Iacobo Hackmanno, Reu. Miniſterii Seniori, qui tum nonagenarius obierat, legitimis ſuffragiis electus, d. 23 Aprilis in Paſtoratu Nicolaitano ſucceſſit.

Scripta.

Inquiſitio Philologica in Hiſtoriam Ioannis Filii Zachariae. Reſp. Io. Leonart. Gleiſſio. Ien. 1670. 4. pl. 8½. Repetiit eandem atque inſeruit Faſci IV. Exercitatt. Philologico-Hiſtoric. *Thomas Crenius* pag. 319 ſqq. qui & p. 402 notulae nonnihil de reliquiis Ioannis adſperſit, inque Praefat. pag. 40 hoc eam encomio dignatus eſt: *Praecedit hunc Noldii tractatum admodum erudita Inquiſitio Philologica in Hiſtoriam Ioannis Cl. Dn. M. Io. Erneſt. Büttneri, quae ſe facile quibuſuis ob doctrinam eruditis commendabit.* Reperitur quoque in Volum. II. Theſauri Theologico-Philologici, ſiue Sylloges Diſſertatt. elegantior. ad ſelectiora & illuſtriora V. & N. T. loca Amſtel. 1701. fol. pag. 285-301. Convertit ex hac Diſſertatione in rem ſuam non pauca Io. Schützius

T. II. Apparat. Nomin. Proprior. Bibl. tit. *Iohannes Baptiſta*, nomen noſtri aliquoties candide profeſſus.

Diſputatio Hiſtorica de Ciuitate Romana Virgidemiis exemta, & Iure, quo Paullus Apoſtolus Tarſo Ciliciae oriundus ad eam prouocarit bis ventilationi ſubmiſſa; primum quidem an. 1671. m. Aprili Reſp. Io. Chriſtoph. Förſtelio: dein quodammodo auctior an. 1675. m. Martio. Reſp. Gebart. Faie. ibid. pl. 4. Ex hac itidem excerpſit Schützius T. III. libr. citat. tit. *Paulus*, eandemque p. 1300. 1314 allegauit.

Disquiſitio Theologica de Fide B. Luthero emphatice ſic dicta Incarnata, quam ad filum praelaudati viri inſtituit, eaque potiores Pontificiorum circa fidem errores refutauit, nec non Paulli cum Iacobo conciliationem inde tentauit, ac praeſidente Sebaſt. Niemanno publicae eruditorum ventilationi dicauit. Ien. 1673. 4. pl. 7.

Satura Criſeologica. Reſp. Valerio Oeleri. Lemgou. 1677. 4. pl. 3. Eſt farrago variarum rerum critico-philologicarum, quarum ecce! lemmata nonnulla: *Ante diem; h. e. Ipſo die*: Ῥακὰ, *Matth. V. 22*: *ICtus ἱερεὺς, Myſta & Sacerdos Iuſtitiae*: Τετρακτὺς *Pythagorica* &c.

Obſeruatio Philologica de nonnullis Chriſtianorum inprimis famoſis Appellationibus. Reſp. Laurent. Müllero. ibid. eod. an. 4 pl. 1½.

Compendiaria Latinitatis Via, quam a Sanctio, Scioppio, Voſſio feliciter apertam, ſpecimine Grammatices nouae, rationibus fundatae, & quod ad conſtructionem, exemplis ſententioſis illuſtratae, planiorem reddidit, ſtudioſaeque iuuentuti commonſtrauit. Stadae. 1682. 8. pagg. 176. *Laudandum in hoc compendio*, inquit Morhofius, *quod ordinatiores regulas inſtituat, quam ipſe Scioppius & Sanctius, quodque exempla regularum conſiſtant in meris ſententiis, ne pueri inutili exemplorum farragine grauentur, & ſimul tamen ea diſcant, quae vſui eſſe poſſint.* Vid. eius Polyh. Liter. Lib. IV. cap. 10. §. 10. pag. 124. ſq. Specimen autem hoc eſſe maioris operis, patet non ſolum ex inſcriptione, ſed etiam ex auctoris praefatione, in qua ita: *Specimen vero tantum eſt, quod nunc edere placuit. Quare defectus, ſi forte quos habebit, in ipſis Inſtitutionibus Grammaticis ſupplere ſtudebo, rerumque omnium rationem prolixiſſimam ſuppeditabo.*

Sonderlicher Hand-Griff die Lateiniſche Sprache aufs kürzeſt und gründ-

lichſte

Digitized by Google

lichſte zu erlernen/ für die Anfänglinge derſelben. Zuſammt einer allgemeinen Haupt-Tafel / in welcher der Grund-Abriß dieſer neuen Lehr-Art vor Augen geſtellet wird ; Nebſt nöthig-erachteter Vorrede vom Nutz und Gebrauch dieſer neu-erfundenen Sprach-Lehre. Stade. 1686. 8. pagg. 96.

Das glücklich zu Ende gebrachte Lebens-Einmahleins bey Beerdigung Herrn Ioannis Diecmanni, Predigers zu Wilhadi und Mariae ſtat einer Bedanckungs-Rede kürtzlich abgefaſſet. Stade. 1682. 4.

Der ſelige Jacobs-Schlaff *ex Gen. XXIIX. 11. 12.* bey der Leichbeſtätigung Herrn Iacobi Diecmanni, Paſtoris der Kirchen SS. Coſmae und Damiani ſtat einer Lob- und Danck-Rede entworffen. Stade. 1683. 4.

Der Alten Kron und Ehre / das iſt: Chriſtliches Gebät-Buch inſonderheit für alte Perſohnen zu Hauſe und in der Kirchen bey allerhand Begebenheiten zu gebrauchen. Stade. 1707. 8. Rogatus a typographo Caſp. Holvvein congeſſit ex aliis, vti ipſe fatetur, hoc Euchologion, eique praefationem addidit, in qua explicat dictum Iob. XII. 12. & refutat Quietiſtas, Brovvniſtas ac Bogomilos improbantes certas precum formulas.

Bibliis Stadenſibus, vt accuratiora & correctiora ederentur, ſuam quoque operam nauauit, in quibus quid praeſtiterit, ex Praefatione Magnif. Doct. Diecmanni iisdem Bibliis an. 1690 & 1703 impreſſis praefixa p. 18 patebit. Vid. eiusd. Teutſche Schrifften P. II. pag. 12 ſq.

Cum Conrectoris munere fungeretur, iuuentuti non ſolum breuiorem & accuratiorem ad Latinitatem perueniendi viam monſtrare conatus eſt, dum ex principiis potiſſimum Sanctianis eam, quam ante diximus, *Compendiariam Latinitatis Viam* adornauit; ſed etiam plane ſimilem h. e. *pauciſſimis conſtantem regulis, exceptionibus autem fere nullis*, *Viam ad Linguam Graecam* elaborauit, & cum ſtudioſa iuuentute in collegio priuato communicauit, cuius editionem a nonnullis viris eruditis non minus deſideratam iam dediſſet, ſi, qui ſumtus impenderet, eſſet inuentus. Annectetur ei (ſi aliquando publici iuris fiet) *Poëtice Graeco-Latina Harmonica*.

De Soraborum, Slauicae gentis, origine, lingua, aetate, fortuna &c. quaſdam

Digitized by Google

dam Diſputationes coepit conſcribere, cum Ienae eſſet, quas vero materiae amplitudo & defectus quorundam auctorum non adeo vulgarium huc vsque prodire vetuit.

Nunc molitur nonnulla in vſum Candidatorum Miniſterii & Paſtorum iuniorum, quae quando lucem viſura ſint, certo quidem affirmare non poteſt ob munus, quo fungitur, labore pleniſſimum. Sunt autem illa:

Neu-aufftretender Kirchen-Redner / oder wol eingerichtete Diſpoſitiones über die Sonn- und Feſt-Tages Evangelia durchs gantze Jahr.

Das Neue Teſtament unſers Heilandes JEſu Chriſti / Griechiſch und Deutſch / nach der ſo wol erſten als letztern Überſetzung D. Martini Lutheri, ſammt kurtzen Summarien und vollſtändigen Locis Parallelis.

C.

Detleuus CRVSE *Reipublicae Stadenſis Senator & Camerarius.*

Vidit lucem Stadae an. 1641 d. 25 Julii. Patrem habuit *Georgium* CRVSE ciuem atque negotiatorem Stadenſem; matrem vero *Catharinam*, *Ioannis* OSTMANNS, mercatoris Hamburgenſis, filiam. Parentibus hiſce iuuenis admodum orbatus, ab auo *Ioanne* CRVSE, Senatore & Camerario Stadenſi iis commiſſus eſt, qui in ſchola patria iuuentuti formandae tum praefuerunt. Auo autem hoc an. 1653 defuncto, tutores quoque eum à literis, quarum amorem in eo animaduertebant, non retraxerunt. Ienam abiit an. 1663 ibidemque ductu *Richteri*, *Struuii*, *Schröteri* & aliorum per triennium iuris ſtudio operam nauauit. Iena Francofurtum ad Viadrum ſe contulit, vbi non minus celebres ICtos, *Brunnemannum* ſcil. *Rhetium* & *Strykium* ſeniorem (quo Praeſide an. 1667 publicae diſquiſitioni ſubmiſit Io. Brunnemanni Exercitationem Iuſtinianeam XXIII ad Tit. I. Lib. IV. Inſtit.) audiuit. Annum ibi cum exegiſſet, nactus itineris comites amicos nonnullos, Germaniae vrbes celebriores perluſtrauit, tandemque Argentoratum delatus, ſtudiorum Academicorum abſoluendorum cauſa per annum ibi commoratus eſt.

Ex

Digitized by Google

Ex Academia hac an. 1668 in Galliam iter fecit, Lutetiaeque Pariſiorum anni ſpatio vixit. Viſis praeterea illuſtribus Galliae Academiis Aurelianenſi, Salmurienſi, Andegauenſi, Rothomago item & Portu Gratiae, in Angliam traiecit. Luſtrata Londini aula Regia, factoque cum *Io. Miltono* aliisque viris eruditisſimis ſermonis commercio, Oxonium viſitauit. Londinum vero reuerſus, aequor denuo ingreſſus eſt & ad Belgii littora curſum direxit. Vltraiecti colloquutus eſt cum *Anna Maria a Schurmann*, virginum eruditarum principe, & *Antonio Matthaei* ICto celebratisſimo. Lugduni Batavorum in notitiam venit *Heinſio*, *Gronouio* aliisque ſummis viris, qui tum temporis ibidem floruerunt. Taceo Dordracum, Goudam, Harlemum, Delphos, Hagam Comitum & Amſtelodamum, vbi itidem viros doctisſimos inuiſit, & quaeuis notabilia oculis vſurpavit. In patriam rediit an. 1669 die Iacobi, cum per ſex annos & totidem menſes ſtudiis Academicis ac peregrinationibus vacaſſet. Conſumto in patria anni ſpatio in Holſatiam euocatus eſt, vt illuſtris atque generoſisſimi Ioannis Rantzouii, Generalis Maioris ac Principis Holſatiae ſecreti Conſiliarii Prouincialis Praefectique Cismarienſis filio vitae ſtudiorumque rector adeſſet. Has partes quum in Holſatia ac praeſertim Kilonii expleuiſſet, iamque in eo eſſet, vt iuueni fidei ſuae commiſſo per Galliam & Italiam ducem ſe ac comitem itineris praeberet, Rantzouius pater inopinato decesſit. Cuius obitus non tantum inſtantem filii peregrinationem interuertit, ſed & noſtrum permouit, vt in hac ſtatione haud ſibi diutius haerendum putaret. Relicta igitur Holſatia an. 1673 Wisſmariam concesſit, vt ad fori negotia ſe conferret, & rationem cauſarum in ſupremo Tribunali agendarum addiſceret. Quo tempore Sternbachium, qui vices Praeſidis gerebat, ceterosque Aſſeſſores ſibi conciliauit, & permanendi conſilium cepit, quod ſpes facta eſſet muneris, quod Procuraturam vocant, propediem impetrandi. Sed circulos turbauit bellum, Wismaria a Danis an. 1675 capta, & Tribunali ſublato. Quapropter, vt a patria non procul abeſſet, Hamburgum contendit, ibidemque ſubſtitit & operam ſuam variorum clientum cauſis vtiliter commodauit. Neque vero dum haec ageret, commercium per epiſtolas cum doctisſimis Germaniae viris intermori paſſus eſt, neque nobilisſimorum virorum, quos Hamburgum habet, fauore atque amici-

Digitized by Google

amicitia caruit. Tandem eum an. 1700 reuocauit patria, & Senatoria dignitate donauit; quam ſpartam aggreſſus noſter d. 23 Novembr. eiusd. anni, copioſa librorum ſupellectile Hamburgo aſportata, hodieque ornat, ex Aedili factus Camerarius an. 1702 d. 11 Nouembris. Commemoranda autem praecipue eſt ſingularis amicitia Cruſii cum ſummo Morhofio olim Kilonii contracta & conſtanter ſeruata; cuius tot extant documenta, quot Morhofius ad eum literas dedit. Neque obſcurum huius rei indicium praebet Diſſertatio Morhofii de Quinta Eſſentia catholico Morborum remedio, quam cum noſtro, coniunctiſſimo amico ſuo, communicauit, cui & eiusdem ἔκδοσις debetur. Teſtem allego praeter Io. Mollerum in Prolegomen. in Morhofii Polyhiſt. pag. 59 Io. Burch. Maium, cuius in Praefat. Diſſertatt. Morhofii Academicis & Epiſtolicis Hamburgi 1699. 4. iunctim editis praefixa pag. ƆC ƆC b. haec leguntur verba: *Inter ceteras autem, quae hic exhibentur, diſſertatio de Quinta Eſſentia conſpicitur, a viro eruditiſſimo Detlevo Cruſio, Hamburgi priuatam agente vitam, communicata: cui tanquam intimo ſuo, cum viueret, amico Morhofius tradiderat, editionisque ſpem diſertis verbis fecerat. Quoniam vero ad beatiora ſtudia translatus, ipſe promiſſis ſtare non potuit, nunc per nominatum virum iſthaec implere videtur.*

Extat eius *Diſputatio Iuridica de Iure Salui Conductus.* Ien. 1666. 4. pl. 6. quam, Almae Salanae valedicturus, cognatis deſiderantibus, ſuo Marte elaborauit, atque Praeſide *Statio Harbordo von Windheim* publico examini ſubiecit. Contigit, videre Diſputationem hanc ab auctore notis MSS. adeo locupletatam, vt, ſi vellet, duplo auctiorem eandem poſſet exhibere.

D.

Ioannes Chriſtianus DANCKWERT
Dicaſt. Reg. Aduocatus.

Patria Bardeuicenſis, natus eſt anno 1687 d. 1. Octobris. Ex ſchola Brunſuicenſi an. 1707 in Academiam Wittebergenſem ſe contulit, & inde anno 1709 in Almam Iuliam conceſſit, ex qua anno ſequente ad ſuos reuerſus eſt, iamque apud nos ad praxin fori animum adiecit, Aduocatis Dicaſt. Reg. nuper admodum adſcriptus.

Nico-

Digitized by Google

Nicolaus de DECKEN *Archidicaſterii Regii in Ducatibus Bremenſi & Verdenſi Aſſeſſor.*

Eques Kedingenſis, ortus eſt ex antiqua familia de Decken (qua de conferri merentur Mushardi Monument. Nobilitat. Antiq. famil. Illuſtr. in primis Ord. Equeſtr. in Ducat. Brem. & Verd. pag. 192. ſqq.) natus in praedio ſuo equeſtri Rittershauſen patre *Henrico de* DECKEN, matre *Hedewiga Maria*, *Henrici Ottonis de* RÖNNE filia. Prima literarum rudimenta cum tam priuatorum praeceptorum ductu, quam in ſchola Otterndorffenſi percepiſſet, Gymnaſium Stadenſe acceſſit, ex quo an. 1695 abitum in Academiam Lipſienſem maturauit. Vſus ibi per biennium inſtitutione *Menckenii*, *Ittigii*, *Titii*, *Suendendörfferi* aliorumque, Halam abiit, vbi anni vnius ſpatio *Stryckii* vtriusque, *Thomaſii*, *Bodini*, *Buddei* & *Ludouici* fuit auditor. Iter porro ad Belgas direxit, cumque Lugduni Batauorum ſcholis *Vitriarii* ſex menſes interfuiſſet, Lutetiam Pariſiorum profectus eſt, & inde Italiam petiit. Luſtratis ibi Roma, Neapoli, Bononia, Venetiis aliisque locis celeberrimis, Viennam contendit, qua viſa vna cum nonnullis aliis illuſtribus Germaniae vrbibus, per Belgium in Angliam penetrauit, cujus vrbem principem Londinum & Muſarum ſedem Oxonium cum viſitaſſet, Belgium repetiit, indeque conſumtis in omni itinere duobus annis, in patriam reuertit. An. 1704 d. 7 Jul. conſtitutus eſt Archi-Dicaſterii Regii Aſſeſſor.

Ioannes DETENHOFF *Archi-Dicaſterii Regii & Curiae Stadanae Aduocatus.*

Stadae natus eſt an. 1679, inque Gymnaſio noſtro *Eckhardi* & *Schneideri* fuit auditor. Anno 1700 Halam conceſſit, vbi a celeberrimis *Stryckiis*, *Brunnemanno* & *Böhmero* iurisprudentiam, a *Buddeo* autem philoſophiam edoctus eſt. Patriae redditus an. 1704, palaeſtram forenſem ſtatim ingreſſus eſt & in Curia noſtra Aduocati partes in ſe ſuſcepit. Facultatem cauſis patrocinandi in Archi-Dicaſterio Regio d. 15 Januar. 1710 impetrauit.

Ioannes

Ioannes DIECMANNVS *SS. Theol. D. & Ducatuum Brem. ac Verd. Superintendens Generalis.*

Editus eſt in lucem Stadae an. 1647 d. 30 Iun. patre *Iacobo* DIECMANNO, Eccleſiaſte primum Neuhuſano, deinde Stadae ad DD. Coſmae ac Damiani Diacono & tandem Paſtore (vid. Witte Diar. Biograph. T. I. ad An. 1683) matre *Catharina* HINTZEN, *Henrici* HINTZEN Senatoris Stadenſis filia. Literarum fundamenta iecit in ſchola patria, quam adoleſcens admodum viſitare incepit, inque ea adeo profecit, vt anno aetatis decimo ſeptimo ſcholam cum Academia feliciter potuerit permutare. An. enim 1664 Gieſſam Haſſorum petiit, perque duos annos ciuibus eius Academiae interfuit. Doctores ibi nactus eſt in Philoſophicis *Kilianum Rudrauffium*, & in Hebraicis *Philipp. Ludou. Hannekenium.* Hiſtoriarum notitiam accepit a *Io. Conr. Dieterichio:* Theologos vero audiuit *Petr. Haberkornium* & *Io. Nicol. Mislerum*, viros longe celeberrimos. Relicta Alma Ludouiciana, an. 1666 in Salanam ſe contulit, ibidemque non minus doctoribus praeſtantiſſimis vſus eſt. Hiſtoriae Eccleſiaſticae operam nauauit ſub auſpiciis *Io. Andr. Boſii:* Rabbinica eum docuit Io. Friſchmuthus, ceterasque orientis linguas *Io. Frid. Nicolai*, Theologiam vero *Io. Muſaeus.* Anno 1670 Wittebergam quoque contendit, vbi ſummos Theologos *Abrah. Calouium* (cuius hoſpitio etiam atque conuictu vſus eſt) & *Io. Andr. Quenſtedt* doctores veneratus eſt. In hac Alma Leucorea an. 1671 Magiſtri Philoſophiae honoribus fuit ornatus & inter viginti duos candidatos principem locum obtinuit. Exacto ibi biennio an. 1672 patrios lares repetiit. Anno autem 1674 a Senatu Stadano Gymnaſii Rector deſignatus eſt, quae munia ſumma dexteritate obiit, donec an. 1683 grauiſſimum (quo hodieque ſumma cum laude fungitur) Superintendentis Generalis per Ducatus Brem. & Verd. munus ipſi fuit demandatum, quod auſpicaturus pro conſequendis ſummis in Theologia honoribus Kilonii cum applauſu diſputauit, eodemque anno Doctor Theologiae eſt renunciatus.

Scripta.

Scripta.

De Ἀνθοβολίᾳ καὶ φυλλοβολίᾳ ſeu Sparſione Florum. Praeſ. *Io. Cunr. Dieterichio.* Gieſſae Haſſ. 1666. 4. pl. 5½. Adiecta eſt haec Diſſertatio ſub Dieterichii (quem tamen auctorem non agnoſcit) nomine *Io. Nicolai Tractatui de Phyllobolia ſeu Florum & Ramorum Sparſione in ſacris & ciuilibus rebus vſitatiſſima* &c. Francof. ad Moen. 1698. 12. pag. 126 ſqq.

Exercitatio Hiſtorico-Theologica de Eccleſiarum Orientalium & Latinae in dogmate de Purgatorio Diſſenſione, Leoni Allatio Chio & Abrahamo Ecchellenſi Maronitae oppoſita, ac Praeſide Ioanne Andrea Quenſtedt ad ventilandum propoſita. Witteb. 1671. 4. Alph. 1. Minus recte Exercitationem hanc ob ſolum, pro more Academico, ei datum praeſidium ſcriptis Quenſtedii annumerauit Witte Diar. Biogr. P. II. ad an. 1688. pag. 151. b. quae tota Diecmanni eſt, adeo vt, quemadmodum ex certis indiciis cognoui, ne vnicam quidem voculam in illa Praeſes mutauerit, vel ei adiecerit. De iis, qui ex hac Exercitatione non pauca ad verbum deſcripſerunt, nulla Diecmanni mentione facta, addere quaedam poſſem, ſed virorum clariſſimorum nominibus parco.

Enneas Animaduerſionum in diuerſa Baronianorum Annalium loca. Praeſ. Georg. Greenio. Witteb. 1671. 4. pl. 1.

De Vocis PAPAE Aetatibus Diſſertationes Hiſtoricae duae, Reſpondentib. Io. Braxatoris & Io. Scharſi ibid. 1671. 4. pl. 4. Sine dubio has Diſſertationes reſpexit M. Io. Praetorius, qui in Detecto per Gematriam Anti-Chriſto (edit. an. 1674) Cum pag. C. 1. alluſiuas etymologias vocis PAPA a Diecmanno hic praetermiſſas adduxiſſet, addit: *Aliam alluſionem ſuggerit Balaeus in praefat. de Vitis Pontificum, quam num cum prioribus protulerit nuperus auctor duarum Diſſp. de Voce Papa, ſubdubito.* Sed conſtare potuiſſet Praetorio, Diecmannum in etymologia non alluſiua, qualem ille ſiſtit, ſed vera inueſtiganda occupatum fuiſſe.

Programma *de Inquiſitione Hiſpanica*, quo ad actum oratorium de pluribus in republica Religionibus ferendis an aufferendis? auditores inuitauit. Stadae. 1675. fol. pl. 1.

De quatuor humanae mentis Operationibus Diatribe Exoterica prior, tum de

iis ſummatim in genere, tum ſingulatim & de prima in ſpecie diſſerens. Reſp. Georg. Lucco. Stadae. 1675. 4. pl. 3.

De quatuor humanae mentis Operationibus Diatribe Exoterica poſterior, ſecundam, tertiam & quartam complectens. Reſp. Dan. Nic. a Zeſterfleth. Stadae. 1679. 4. pl. 4.

טופסי השמים *ſiue de Typorum Caeleſtium Paradoxo Helmontiano Diſſertatio*, quo ad actum oratorium de Siderum in imperia mundana virtute d. 29 Mart. habitum inuitauit. Stadae. 1677. 4. pl. 2½

De Rigore Legis Monogamicae in Politia Iudaica ab ipſo Deo relaxato Diſſertatio Biblica. Reſp. Ioach. Lehment. Stadae. 1677. 4. pl. 4.

Vindiciae Legis Monogamicae, primum breui Examine in Iohannis Lyſeri Diſcurſum Politicum Germanicum de Polygamia itae actaeque, deinde contra nouas eiusdem huic Examini oppoſitas exceptiones, quae integrae ex communicato Lyſeriano exemplo inſeruntur, iteratae ac plenius aſſertae; vbi ſimul potiora Diſcurſus Politici Latini de Polygamia, ſub Theophili Alethaei nomine ab eodem editi, fundamenta conuelluntur. Stadae. 1678. 4. Alph. I. pl. 13. *Maſcule Lyſero ſe oppoſuit*, iudice Quenſtedio P. IV. Syſtem. p. 469. qui l. c. pag. 460 ſqq. ex his Vindiciis excerpſit.

De primis & antiquiſſimis Iohannae Papiſſae Praeconibus Cχέδιον *Hiſtoricum*, actui oratorio de Eruditione Feminarum d. 19 Septemb. habito praemiſſum. Stadae. 1678. 4. pl. 3.

De Legislatore a medio pedum Iudae ante aduentum Chriſti non recedente ad Geneſ. XLIX. 10. Philologema Sacrum actui oratorio Memoriae Feſti Magorum ſacro d. VIII Ianuar. praemiſſum. Stadae. 1680. 4. pl. 5. Reuocat in eo ad examen Iobi Ludolfi Diſſertationem de hoc illuſtri loco, cui titulus: מחקק יהודה איננו *Hoc eſt: Dux Iudaeorum ſublatus. Quod ex Vaticinio Iacobi Gen. XLIX. 10. oſtenditur a J. L.* Ienae. 1674. 4.

De Lingua Primigenia Ebraea, & cum aliorum, tum Georg. Stiernhielmii, Iob. Web, Petri Dan. Huetii, Richardi Simonis, ſuper ea ſententiis, Γύμνασμα, quo ad actum oratorium de Latinae, Graecae, Ebraicae & Germanicae linguarum encomiis d. 30 Mart. habitum inuitauit. Stadae. 1682. 4. cum *Mantiſſa de Io. Annio Viterbienſi.* pl. 6.

De

Digitized by Google

De Naturaliſmo cum aliorum, tum maxime Io. Bodini, ex opere ipſius MSCto, & vsque adhuc ἀνεκδότῳ, de abditis rerum ſublimium arcanis, Schediaſma Inaugurale. Praeſidente Chriſtoph. Franckio. Kilon. 1683. 4. pl. 6. Lipſ. 1684. 12. & cum Adami Tribbechouii Hiſtoria Naturaliſmi. Ien. 1700. 4. Vid. Act. Erud. Lipſ. 1684. pag. 337. Bayle Nouvell. de la Republ. des Lettr. 1684. pag. 340-350. Morhof. Polyh. T. I. L. I. c. 8. §. 9. pag. 77. Struuii Introd. ad notit. rei liter ar. c. 9. p. 444 ſq. Teiſſier Nouv. Additions aux Eloges des Hommes ſavans tirez de l'Hiſtoire de Mr. de Thou pag. 403 ſq. Reimmanni Einleitung in die Hiſtor. Literar. derer Teutſchen III. Theil 3 Hauptſt. pag. 48 ſq. *Hiſtoriam elegantem & cenſuram accuratam Dialogorum Bodini* vocat Mollerus in Hypomnemat. ad Morhof. Polyhiſt. T. III. pag. 124. &, Tenzelio iudice, wird man von *Bodini Dialogo* nichts beſſers finden als dieſes *Schediaſma*, vid. eius Monatl. Unterred. 1692. pag. 555.

Symbolae in Theatro Anonymorum & Pſeudonymorum Vincentii Placcii. Hamb. 1708. fol. vid. P. I. pag. 358 huius Theatri, vbi Placcius de Marginalibus Dieccmannianis ſibi & operi ſuo gratulatur. Conf. eiusd. Inuitat. Amic. ſuper Symbolis ad Anon. & Pſeudon. pag. 21 ſq. vbi Dieemanno gratias agit pro transmiſſis iam aliquot decuriis auctorum detectorum curioſiſſimis, quas vt aliis porro augere velit, rogat.

Hac occaſione intermittere non poſſum, quin aliquod indicium Lectori faciam laboris, a quo dudum horas ſuas ſubſeciuas occupari paſſus eſt Vir ſumme Reu. in *Theatro Pſeudonymorum Placcii tum emendando tum ſupplendo*, qui labor circa cuiuscunque generis ſcriptores, veteres, medios & recentes, ſacros & profanos (non ſolos Patres, quemadmodum innuere videtur fragmentum epiſtolae cuiusdam im ausführl. Bericht von neuen Büchern I. St. pag. 21) verſatur. Huius vt magnam partem ſumma cura & ſtudio iam exantlauit, ita vt plane conficiat, orbemque literatum tam praeclaro munere viuus ac ſuperſtes donare poſſit, aetatem & otium ipſi ardentiſſime apprecamur.

Teutſche Schrifften. Hamburg. 1709. 4. de quibus vid. Unſchuld. Nachricht. 1709. 7 Ordn. pag. 394 ſqq. Vt autem eo melius

D 2 conſtet,

conſtet, quid in his ſeorſim antea, nunc coniunctim, addito duplici Indice, altero locorum Scripturae, altero rerum notatu dignarum, editis ſcriptis contineatur, operae pretium erit, plenum eorum catalogum texere. Continet autem Pars prima

Die von GOtt den Königlichen Häuptern aufgeſetzte dreyfache güldene Krone bey der Erb-Huldigung / welche dem Großmächtigſten Fürſten und Herrn CARL dem XI. &c. &c. &c. die löbliche Bremiſche und Verdiſche Ritterſchafft den 20 April A. 1692 zu Stade eidlich leiſtete / aus II. Chron. I. 1. gezeiget. pag. 7. ſqq.

Encaenia Septentrionalia, das iſt / das Nordiſche Licht- und Freuden-Feſt bey dem am Sonntage Quinquageſima des 1693. Jahrs zu feyren angeordneten hundertjährigen Gedächtniß des A. 1593 an eben demſelben Sonntage angefangenen groſſen Reichs-Concilii zu Vpſala aus dem ordentlichen Sonntags-Evangelio vorgeſtellet. pag. 83 ſqq. Hae duae conciones iunctim gerunt titulum: Schweden-Bremiſches Danck- und Denckmahl. Vid. pag. 1.

Der durch den Glauben zum Kriegen und Siegen geſtärckte König / an dem allgemeinen Danck-Tage An. 1701. d. 15 Febr. ſt. n. wegen des bey Narva A. 1700 den 20 Nou. ſt. v. wieder die Ruſſen erhaltenen Sieges aus Pſ. XXI. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. vorgetragen. pag. 163 ſqq. Ad calcem habes den Bericht von dieſem Siege pag. 228 ſqq.

Das Königliche Marck und Panier Maccabeiſcher Kriegs-Helden bey Beerdigung der Hochgebohrnen Grafen und Herrn Otto Wilhelm Königsmarck und Carl Johann Königsmarck aus Pſ. CXLIV. 1. 2. 3. 4. A. 1691 den 19 Ian. vorgeſtellet. pag. 245 ſqq.

Die der Glaubens-Treue von JEſu gewidmete Lebens-Krone bey der Leich-Beſtattung der Hochwollgebornen Frauen Ebba Margareta / gebohrnen von *Bannier*, wie auch dero Fräulein Tochter / des Hochwollgebohrnen Fräuleins Friderica Johanna Vellingk am 10 Nouembr. 1695 aus II. Tim. IV. 8. vorgeſtellet. pag. 283 ſqq.

Die Seelen-ergetzende Tröſtungen bekümmerter Hertzen bey Beerdigung des Wollgebohrnen Herrn *Ioachimi Chriſtiani* von Ehrenburg Ihro Königl. Majeſt. zu Schweden in dero Hertzogthümer

thümer Bremen und Verden hochbetraut-geweſenen Cantzlers aus Pſalm LXXIII. 28. den 1 Mart. 1695. vorgetragen. pag. 497 ſqq.

Die zukünfftige bleibende Stadt aus Heb. XI. 13. 14. 15. 16. zum letzten Ehren-Gedächtniß der Wollgebohrnen Frauen Jlſen von Hackelberg geb. vom Brocke den 23 Iul. 1687 zur Vallje vorgeſtellet. pag. 571. ſqq.

Der Ehren-Preiß des geiſtlichen Oel-Baums bey der Leich-Begängniß der Wollgebohrnen Frauen Annen Brigitten Kanterſteen/ geb. Olivenkrantz aus Pſ. LII. 10 den 26 Sept. 1689 in der Kirche des Kloſters zu Zeven vorgelegt. pag. 645 ſqq.

Der Kirchen-Lehrer göttliche Ausſonderung zur Predigt des Evangelii aus Rom. I. 1. und Gal. I. 15. bey Inveſtitur und Einführung des Hoch-Ehrwürdigen/ Groſachtbahren und Hochgelahrten Herrn *Iacobi Hieronymi* Lochners/ D. Königl. Schwediſchen Conſiſtorial-Rahts/ zum Ober-Paſtorat der Königl. Dom-Kirche in Bremen und der geſammten Bremiſchen Dioeces Superintendenten-Amt den 17 Nouemb. 1686 fürgeſtellet. pag. 687 ſqq.

Entwurff unvorgreiflicher Gedancken über vier den Gebrauch der Priuat-Communion betreffende Gewiſſens-Fragen. pag. 729 ſqq.

Reſponſa und Belehrungen der dreyen Theologiſchen Facultaeten zu Wittenberg/ Roſtock und Kiel/ über den A. 1681. 4. zu Stade gedruckten Entwurff unvorgreifflicher Gedancken über vier den Gebrauch der Priuat Communion betreffende Gewiſſens-Fragen. Sammt einer abgenöhtigten Vorrede D. Johann Diecmanns/ darinn er nechſt Erzehlung deſſen/ was zur Nachricht von ſeinem ietzterwehnten Entwurff gehöret/ den offenbahren Abtritt/ welchen ein denſelben ohnlängſt anfechtender Kriegs-Bedienter in ſeinen Neuerungs-vollen Religions-Schrifften von unſer Evangeliſchen Lehre genommen/ kürtzlich vor iedermanns Augen leget/ auch die Urſachen/ warum er ſich mit dieſem Manne in keine Schrifftwechſelung einzulaſſen gemeinet ſey/ anzeiget. pag. 763 ſqq.

Pars ſecunda continet

Vorrede über die zu Stade An. 1690 und 1703 gedruckte Hand-Bibel. pag. 1 ſqq. in qua de praeſtantia atque excellentia verſionis Lutheri agit, & quid in hac editione praeſtitum ſit, exponit.

Vorrede über die zu Stade A. 1700 gedruckte kleinere Hand-Bibel. pag 40 ſqq.

Digitized by Google

40 ſqq. Oſtendit in ea ſummam dignitatem codicis Bibliorum ceteris omnibus libris anteferendi.

Vorrede über die zu Stade A.1702 gedruckte Foliant-Bibel. pag. 47 ſqq. Aſſerit hic perfectionem S. Scripturae & defendit noſtram hodiernam Germanicam Bibliorum interpretationem tanquam genuinum Lutheri foetum contra Paul. Felgenhauerum, de quo eiusque impiis ac fanaticis doctrinis plurima notatu digna leguntur in hac eruditiſſima praefatione, quam idcirco *Synopſin Errorum Felgenhauerianorum* non immerito dici poſſe iudicat Auctor der Hiſtor. Remarqu. loc. mox citand. Idem agit contra Gothofr. Arnoldum. Vid. Hiſtor. Remarqu. 1702. pag. 247 ſq.

Vorrede über ſel. D. Henr. Müllers und ſel. D. Joach. Lütkemanns, zu Stade A. 1705 gedruckte Erklärung und Betrachtung der Evangelien und Epiſteln. pag. 128 ſqq. Agit in ea de origine atque antiquitate Pericoparum Euangelicarum & Epiſtolicarum, easque ab oſoribus ipſarum, qui in malam partem interpretantur, quod Eccleſia Lutherana poſt emendata ſacra easdem retinuerit, egregie vindicat. Conf. Nou. Lit. Germ. 1706. m. Mart. pag. 127 ſq.

Vorrede über das zu Stade A. 1706 gedruckte Wahre Chriſtenthum ſel. Johann Arnds, pag. 164-229. Copioſiſſima haec de Io. Arndio, eiusque libris, doctrina, oppugnatoribus ac defenſoribus eſt relatio, de qua Auctores der Unſchuld. Nachricht. 1709. 7 Ordn. pag 396 affirmant, daß dieſelbe ſo vollſtändig noch nicht geſehen worden. Contenta eius leguntur l. c. pag. 396 ſqq. & vberius in Nou. Lit. German. 1706. m. Iul. pag. 254 ſqq. Nachricht von den Editionibus der Schrifften Val. Weigelii ex eadem hac praefatione excerpta vid. in citatt. Unſch. Nachr. eiusd. an. 9 Ordn. pag 550 ſq: von dem Brief von dem Geheimniß der Menſchwerdung / ſo Hn. Jo. Arndten zugeſchrieben wird ex pag. 195 ſqq. vid. l. c. 10 Ordn. pag. 597-601.

Michael Georgius DIECMANNVS *Conſiſtorii Regii Secretarius.*

Parentes colit *Ioannem* DIECMANNVM, ſupremum per Ducatus Brem.

Digitized by Google

Brem. & Verd. Praeſulem, quo de modo diximus, & *Sophiam Vrſulam, Michaelis* RAGERI, Superintendentis quondam Ducatus Verdenſis filiam, quibus natus eſt Stadae an. 1678. d. 5 Octobris. Quamprimum per aetatem doctrina potuit imbui, fideliſſimis praeceptoribus priuatis parentes illum formandum tradiderunt, cumque annum aetatis ſextum & decimum attigiſſet, Gymnaſium patrium adire iuſſerunt. Auctus in eo eſt doctrina a M. *Tobia Eckhardo* Rectore & M. *Henr. Gottl. Schneidero* Conrectore, viris non incelebribus, quorum per triennium fuit auditor. Ex patria anno 1698 profectus eſt in Academiam Ludouicianam, quae Gieſſae floret, ibidemque praeeuntibus doctoribus publicis Themidis ſacra per biennium tractauit. Domum inde reuerſus, an. 1701 Almam Fridericianam petiit, & inchoatum iuris ſtudium duorum annorum ſpatio continuauit. Redux in patriam factus, breui interiecto tempore ad praxin fori animum applicuit, inque Curiis Regiis ad annum vsque 1706 cauſas publice defendit, quo anno Carolus Guſtavus Horn, legionis equeſtris Bremenſis Chiliarcha, munus Iudicis Militaris (Regiments-Auditeurs) ipſi demandauit. Quo cum tres annos functus eſſet, ab Illuſtr. Regimine Regio e Polonia, quorſum praedicta cohors abducta erat, reuocatus eſt & *Diederici von Stade* V. Cl. Conſiſtorii Regii per Ducatus Brem. ac Verd. Secretarii vltra quadraginta annos bene meriti, nunc ſoceri ſui longe amantiſſimi, Adiunctus in officio conſtitutus. Cum vero Archiuarii per Ducatus Brem. & Verd. munia hodie gerat modo laudatus ipſius ſocer, Secretarii Conſiſtorialis munere nunc ſolus fungitur.

Auctor eſt

Ex Iurisprudentia vniuerſali Schediasmatis de recta pacis tempore bellique Ratione Status exoterici, quod Praeſ. *Imman. Webero* publicae ventilationi ſubmiſit. Giſſae. 1700. 4. pl. 7.

Diſſertationis Iuridicae de Obligatione Antidorali, occaſione l. 25. §. 11. ff. de hered. petit. quam Praeſ. *Io. Sam. Strykio* eruditorum diſquiſitioni ſubiecit. Halae Magdeb. 1703. 4. pl. 7. Vid. Nou. Lit. Germ. 1703. p. 347. ſq.

Caſpar DODT *in Senatu Iuſtitiae Regio & Iudicio Aulico Secretarius.*

Patre

Patre *Caſpare* DODT, ciue & octouiro Buxtehudano, matre *Anna* BECKMANNIA natus eſt Buxtehudae, die $\frac{8}{18}$ Octobr. anni 1672. Primas in diſciplinis humanioribus lineas duxit in ſchola noſtra Stadenſi, priuata praeterea inſtitutione ſubleuatus: donec anno 1692 pedem proferret Bremam, & in illuſtri eius vrbis Gymnaſio prudentiae ciuilis ac prima Iuris elementa hauriret. Hinc anno 1695 Ienam perrexit, ibique triennium integrum in Iuris ſtudio conſumſit. Redux anno 1699 d. 20 Maii Stadae receptus eſt in eorum numerum, quibus in iudiciis Regiis cauſas agendi publica facultas eſt. Anno 1701 d. 6 Iunii iuri dicundo praefectus eſt in legione equitum Bremenſi, cui tunc Dux praeerat Carolus Guſtauus Hornius. Cum hac legione anno conſequente d. 26 Maii in Poloniam iuit, & triennio in iſta expeditione conſumto, quum an. 1705 ex Polonia in hos Ducatus legio reuerteretur, ipſe quoque d. 14 Iul. patriam reuiſit. Denique anno 1706 d. 18 Septembr. munus Secretarii in Collegiis Iuſtitiae pariter ac Iudicii Aulici ei fuit demandatum.

Fridericus Adolphus de DVRING *Hereditarius & Ar

miger* (Burgmann) *in Horneburg, Sac. Reg. Mai. Suedicae per Ducatus Bremenſem ac Verdenſem Regiminis Conſiliarius & Curiae Prouincialis Aſſeſſor.*

Non licuit de Viri huius ampliſſimi vita & eius in Ducatum Bremenſem & Verdenſem meritis quaedam in medium afferre; impediente morbo grauiſſimo, qui eum necopinantem, iamque vitae ſuae hiſtoriam humaniſſime pollicitum corripuit, ac, dum haec ſcribo, d. 11 Septembr. extinxit. Dolet iacturam tanti viri vniuerſa patria, digniſſimi, qui reipubl. ac ſplendidiſſimis officiis diutius viueret ſuperſtes.

Bar-

Digitized by Google

E.

Bartholdus Am ENDE *Regiorum Dicaſteriorum & Curiae Stadanae Aduocatus.*

Georgius Bernhardus ab ENGELBRECHTEN *S. R. M. Suecicae in Ducatibus Bremenſi ac Verdenſi Regiminis Conſiliarius, Vice-Director & Conſiliarius Collegiorum Iuſtitiae.*

Floruit abhinc ſaeculis amplius duobus in Pomerania Gens Engelbrechtiorum, eademque multo antiquiori gloria in regno Sueciae dudum inclaruerat, tuleratque inclytum illum Engelbrechtium, cuius ardui conatus pro libertate populi, regnante Erico Pomerano, immortali memoria in faſtis Suecorum celebrantur. (Vid. Pufendorffii Continuirte Einleit. pag. 150 ſqq.) Ex hac gente originem traxit *Georgius ab* ENGELBRECHTEN, Conſiliarius Regius in Dicaſterio Ducatus Pomeraniae, ac poſtea ſummi Tribunalis Regii Wismarienſis Aſſeſſor primarius nec non Conſiſtorii ibidem Praeſes, cuius merita nouum familiae decus conciliarunt, cum CAROLVS XI Rex glorioſiſſimus, nomen Engelbrechtiorum antiquae nobilitati confirmaret, & inſignia Gentis in domo equeſtri Holmienſi ſuo loco collocari iuberet. Hoc Georgio patre natus Noſter eſt; matre vero *Barbara de* WVLFFRATHEN, Gryphisvvaldiae d. 18 Aprilis A. 1658. Prima literarum rudimenta a praeceptoribus, quos domi habuit, accepit, & cum iam ſtudia eius extra limen proferenda viderentur, Francofurtum ad Oderam doctrinae amplificandae gratia an. 1675 ſe contulit. Ibi *Rhetii* conuictu vſus, eiusdemque nec non *Strykii*, *Becmanni* ac *Ramsbeckii* publicis & priuatis collegiis interfuit. Per belli autem turbas vltra quindecim menſium ſpatium ibidem commorari ipſi non licuit, quare Gryphisvvaldiam reuerſus ſub *Pomereſchio*, *Gerdeſio* & *Phulio* literarum ſtudia con-

tinuauit. Cum vero hoſtium inuaſiones nec eum locum tutum relinquerent, an. 1677 Stralſundia per mare Lubecam, quo parentes expugnata Wismaria ſe receperant, iter fecit. Vnde Altdorfium profectus eſt, ibique *Wagenſeilium, Hammerum, Linckium, Sturmium* & *Omeiſium* aliosque doctores habuit. Sex menſes vltra biennium tam humaniorum literarum, quam iuris publici & priuati ſtudio his ducibus impendit, atque diligentiae ſuae publica documenta *Diſſertationibus de Eſu carnium ante Diluuium & de Iure Venandi* dedit. Peracto ſtudiorum curſu, externas inuiſurus regiones Neomagum petiit ibique vsque dum de pacis conditionibus omnino transactum eſſet, in comitatu Benedicti Oxenſtiernae, Comitis & Legati Suecici degit. Per Belgium inde in Galliam iter facturus erat, niſi fama inclyti *Boeckelmanni* & aduerſa valetudo in primam fere aeſtatem anni 1680 Lugduni Batauorum ipſum detinuiſſent. Hagae Comitum deinde aliquantum temporis commoratus, reliquas Belgii vtriusque vrbes peragrauit & per Bruxellas Lutetiam profectus eſt. Ibi per quindecim menſes ad linguam Gallicam & corporis exercitia animum applicauit. Deinde, peracto in prouincias itinere, in Angliam traiecit. Cumque Londini aulam Regiam inuiſiſſet, ſpectatis etiam, quae in vrbe agroque notatu digna occurrebant, per Hollandiam domum rediit, ſuosque Wismariae incolumes inuenit. Sub finem anni 1681 Holmiam iuit, S. R. Mti. operas ſuas dicaturus, quae non ſolum menſe Februario anni 1682 certisſimam exſpectationem officii Conſiliarii in Collegio Iuſtitiae Bremenſi ipſi gratioſiſſime concesſit, ſed etiam menſe Septembri locum Conſiliarii extraordinarii per diploma tribuit, quam prouinciam d. 8 Nou. ſuſcepit & ita gesſit, vt licet locus Conſiliarii ordinarii vacuus non eſſet, S. R. M. tamen ſalarium ipſi anno 1687 pendi decerneret. Officium deponente Pufendorffio Cancellario, Executor ordinarius in Ducatibus Bremenſi & Verdenſi factus, & anno 1688 ordinarium Conſiliarii locum in Collegio Iuſtitiae obtinuit, ſimulque Aſſeſſor in Dicaſterium introductus eſt. Anno 1690 commiſſa a Rege in aula Holſatica negotia gesſit, ac vt geſtorum rationem redderet, Holmiam profectus eſt, vnde non ſine plurimis Regiae beneuolentiae teſtimoniis dimiſſus, feliciter rediit. Multa praeterea tam publica quam priuata horum Ducatuum negotia in ſe ſuſcepit. Nam anno 1689 vna cum Plenipotentiariis Caeſareis nomine Directorii Circuli Sax. Inf. ad tollendam prauam illam monetae in priuatis

offici-

officinis cudendae licentiam Hamburgi verſatus, inde Lubecam, Ratzeburgum &c. profectus, ſolus hoc negotium confecit. Anno 1691 & plurimis ſequentibus Commisſioni, cui rectificatio collectarum, quas contributionem vocant, demandata praefuit. Anno 1693 ad Vice-Directorium Dicaſterii, iuſſu & auctoritate Regis ſigillatim reſcribentis peruenit, & ſub finem eiusdem anni defuncto patri vltima pietatis officia praeſtiturus Wismariam ſe contulit. Anno 1702 in Conſiliarium Regiminis promotus eſt & poſtea plurimum publicis negotiis interfuit. Anno etenim 1705 a parte Regis noſtri clementisſimi, cui tanquam Directori Circuli Sax. Inf. vna cum Duce Brunſvvico-Cellenſi ſopiendas in ciuitate Mülhuſina inter magiſtratum & ciues diſcordias Caeſar commiſerat, eo ablegatus eſt. Quo negotio duobus menſibus feliciter peracto in componendis litibus inter Duces Megapolitanos Suerini & Strelitii circa transactionem Hamburgenſem, cuius S. R. M. & Dux Brunſvvico-Cellenſis ſponſores extiterant, & in reſtitutione Principis Mariae Eliſabethae in coenobium & praefecturam Rhun tanquam Commiſſarius Subdelegatus diligentem operam praeſtitit, ac vtrumque negotium breui temporis ſpatio ex voto perfecit. Ab anno 1707 S. R. Imperii Deputationi ad viſitationem extraordinariam Camerae Imperialis Wetzlariae S. R. M. nomine intereſt. Durante tamen eo negotio & alia aeque ardua peregit. Siquidem anno 1710 Goslariam miſſus eſt ad remouenda inter Regem Borusſiae & ciuitatem Nordhuſanam disſidia. Hoc ipſo vero anno munus Ablegati ad complures Imperii Principes, quo etiam nunc fungitur, ei fuit demandatum.

Opus praeſtantisſimum *Dauidis Meuii* inſcriptum: *Communis Gentium Iurisprudentia*, ſeu *Enucleatio Gentium Iuris Communis*, explens in codice MS. quinquaginta Alphabeta, quod in manibus Noſtri eſſe conſtat ex Nou. Lit. Germ. 1707. pag. 143, publici iuris iam feciſſet, & *Prodromo pro exhibendis Iurisprudentiae Gentium communis principiis & fundamentis* ab ipſo Meuio Straleſund. 1671. 8. praemiſſo epidromum addidiſſet, niſi bibliopolarum & typographorum difficultas impedimento fuiſſet. Dabit tamen operam, vt nihilominus ipſius cura mox lucem publicam aſpiciat, neque orbis eruditus tanto theſauro diutius careat.

Digitized by Google

F.

Ioannes FAES *Reu. Miniſterii Stadani Senior & ad D. Wilhadi Paſtor primarius.*

Patriam habet Luneburgum, vbi anno 1646 d. 11 Febr. natus, literarum & liberalium artium fundamenta poſuit auſpiciis praeceptorum tum temporis in ſchola Luneburgenſi nomini S. Ioannis ſacra docentium, *Ioannis* ſcilicet *Georgii Kettembeilii*, *Alberti Schulteti*, *Mich. Iordani*, vt & M. *Caſp. Sagittarii* Paſtoris ad D. Joannis primarii & M. *Georgii Elers*, Diaconi eiusdem Eccleſiae ac Mathematici inſignis, quibus indefeſſa audiendi diligentia continenter vacauit. Comparatae iam tum non vulgaris eruditionis ſpecimen dedit, quando GEORGIO WILHELMO, Brunſuicenſium & Luneburgenſium Duci, Principatus mutationem Graeco & Latino carmine (pl. 6. in fol.) an. 1666 d. 14 Martii gratulatus eſt, quem iuuenilem conatum non Principis ſolum fauor, ſed eximium etiam praemium excepit. Celebrat ipſe Principis erga ſe gratiam in Dedicat. Libri de Vulneribus Chriſti, vbi inter alia ita: *Nec eſt, quod hic ſilentio praeteream, Glorioſiſſime Princeps, Georgi Wilhelme, mirificam & incredibilem Veſtram in me clementiam, atque immortale illud beneficium, quo me Veſtra Sereniſſima Celſitudo aeternum ſibi deuinxit. Ciuibus enim Lunaeburgicis, more inſtitutoque maiorum in fidem & obſequium liquido atque ſancte iurantibus, me Auguſtiſſimi Principatus mutationem Graeca & Latina Oratione in triuio adbuc ipſi gratulantem, honorario tanto Principe digno, praeclare auctum & ornatum de ſuo animo certiorem faciebat.* Perductis ad finem ſtudiis ſcholaſticis, Kettembeilius Rector, ipſo plano inſcio, ei Helmeſtadii liberale hoſpitium parauit apud Chriſtoph. Schraderum, Eloquentiae Profeſſorem, qui eum ſtudiorum & morum Io. Godofr. Danckvverti, Superintendentis Lunae vnici filii, directorem eſſe voluit, quem tamen Helmeſtadium veniens phthiſi emaciatum & detritum inuenit, quique patriam paucos poſt dies repetens diem ſuum clauſit. Almae Iuliae anno 1668 d. 28 Iul. nomen dedit, inque ea praeter rerum diuiniorum ſtudium, aliis quoque ex vtraque philoſophia, e quibus vtilitas quaedam in rempublicam redundare poteſt, ſedulitate incredibili incubuit. Fatetur ipſe in Praefat. Lucubratt. MSS. in Not.

Digitized by Google

in Not. ineditas Scaligeri in N. T., vbi *ab adoleſcentia,* inquit, *ea mihi ingenti labore, immenſo ſtudio & indefeſſis vigiliis paranda, meditanda, cogitanda putaui, quae eſſe in eo ciue ac viro debent, qui Eccleſiae & reipublicae, ſi quisquam alius, optime cupit.* Neque egregia ad literarum ſtudia ipſi defuerunt adminicula, ſiquidem non ſolum viri, quousque literarius orbis patet, celeberrimi *Balthaſ. Cellarius, Gerh. Titius, Frid. Vlr. Calixtus, Gebhard. Theod. Meyerus, Io. Saubertus, Henr. Rixnerus, Herm. Conringius, Henr. Vſſelmannus* &c. doctores ipſi obtigerunt, ſed etiam vti ei licuit Bibliotheca Calixtina tam patris, quam filii, omni fere librorum genere ornatiſſima, Iulia pariter inſtructiſſima &, ſi opus eſſet, Guelpherbytana. His rebus factum eſt, vt inter ciues Academicos adhuc verſans, non ſolum ingenii monumenta cum erudito orbe iam communicauerit, ſed etiam a Gebh. Theod. Meiero dignus fuerit iudicatus, qui Lexico Antiquitatum Eccleſiaſticarum conficiendo adhiberetur. Operae pretium erit, noſtrum in Praefat. Obeli Peregrin. Commun. Peregr. Tilemanni fixi pag. ↄc ↄc 1 ſq. hac de re diſſerentem audire. *Gebhardus Theodorus Meyerus, inquit, Sacrar. Antiq. in Academia Iulia Profeſſor eximius de tali, quale deſideratur, Lexico, ex meo ingenio ſupra deſcripto, aliquoties cogitabat, quod inſcriptione, Clauis Patrum, exornatum volebat. Socium laboris, propoſitis honeſtiſſimis conditionibus, aliquoties me deſiderabat; ſed vocatio ad miniſterium publicum de improuiſo, rariſſimo exemplo, in Academia a Sereniſſimo Potentiſſimoque Duce Brunſuic. & Lunaeb.* GEORGIO *WILHELMO mihi oblata, clariſſimi illius viri deſideria intempeſtiue interpellabat. Quid de ea Claue a meo inde diceſſu factum ſit, ſicut mihi non conſtat, ita obitum huius viri immaturum coeptam eius operis telam procul omni dubio dirupiſſe, &, vt fieri ſolet, circulos turbaſſe, magno ſui deſiderio apud eruditum orbem relicto, plane exiſtimo.* Anno 1675 ſine omni pretio & prece a Duce Sereniſſimo Georgio Wilhelmo de improuiſo ex Academia per Conſiſtorii & Superintendentis ſupremi D. Ioachimi Hildebrandi literas plane ſingulares euocatus & inuitus quaſi praefectus eſt coetui ſacro Steigerbergenſi in Comitatu Hoienſi ſuperiori, eundemque per ſeptem fere annos gubernauit, a quo ſollicitius, nec ſine ſummo moerore dimiſſus. Ad Mindenſes venit anno 1682 praeter exſpectationem omnem, non tamen ſine fato, quibus per quinquennium fere operam ſuam in adminiſtrandis rebus ſacris nauauit, & eosdem diuiniora egregie docuit. Quam aegre ab his auditoribus

toribus ſuis fuerit dimiſſus, non opus eſſe arbitror multis hic exponere, cum ex Dedicat. *Ieſu Lacrymantis* edit. ſecund. Lipſ. ſatis illud pateſcat. Stadam noſtram acceſſit anno 1687, cum ad Paſtoratum & miniſterium ſacrum in Aede Wilhadina obeundum eſſet vocatus, fere praeter ſuam voluntatem, nec ſine ſolicitudine & opera Stadenſium multiplici. Miniſterii Stadenſis Senior literis Senatus publicis electus eſt an. 1699, quo anno M. *Iacob. Hackmannus* vitam cum morte commutauit. Variis vocationibus ad Eccleſias & Academias ſolicitatus, hactenus Stadae tamen haeſit. Anno 1692 a Potentiſſimo Rege CAROLO XI per Wirenium, a concionibus & confeſſione virum, ad Profeſſionem Theologicam in Academia Dorpatenſi & Lundinenſi in Scania quaerebatur. Anno 1703 Quedlimburgum Superintendens ad D. Benedicti, Conſiliarius Eccleſiaſticus & Gymnaſii Inſpector a Sereniſſima Duce Anna Dorothea vocabatur, ſed & hanc vocationem ſuo loco reliquit.

Scripta.

Exercitatio Academica de Vulneribus Chriſti, cuius Theſes ſub praeſidio Io. Sauberti defendit. Helmſtad. 1673. 4. Alph. I. pl. 18. ibid. 1674. 4. Noſtram vero huius Exercitationis eſſe auctorem, ingenue fatetur Saubertus in Palaeſtra Theologico-Philologica, cui eam inſerere noluit (licet nonnullis a Reſpondentibus elaboratis Diſputationibus locum in ea conceſſerit) quod prolixior ipſa iuſtae molis per ſe conſtitueret tractatum. Vid. pag. 359. Titulus *Libri de Vulneribus Chriſti* praefixus eſt 1691. ibid. 4.

De Iubileis Pontificum Romanorum Liber. Helmſt. 1675. 4. Libro huic, quem ad formam Diſſertationis Academicae a ſe conſcriptum ſub praeſidio Fr. Vlr. Calixti in celeberrima Iulia eruditorum disquiſitioni ſubmiſit, occaſionem dedit Clementis X Pontif. Rom. Iubileum, toti orbi Chriſtiano circa iſtud tempus indictum. *Hodie rariſſimum* Auctor ipſe vocat in Obſeruatt. in Inuitat. Panegyr. pag. 9.

Lilii Gregorii Gyraldi Ferrarienſis de Sepultura ac vario ſepeliendi ritu libellus, quem variis ſuis Animaduerſionibus illuſtratum ac locupletatum edidit. Helmeſt. 1676. 4. Obiter hic obſeruo, male legi *Iod. Foes* apud Lipenium Bibl. Phil. pag. 1397. Repetiit copioſiſſimas has Animaduerſiones Io. Ienſius in praeſtantiſſima Operum

Digitized by Google

Operum Gyraldi editione Tom. I. pag. 685. ſeqq., quae prodiit Lugd. Bat. 1696. fol. Tom. II. & de qua conferri poſſunt Act. Er. Lipſ. 1696. pag. 229 ſqq. Rabi Boekzaal van Europe 1697 pag. 1 ſqq. & 415 ſqq. Iournal des Savans 1700. pag. 630 ſqq. De notis autem noſtri ſigillatim vid. Rabus l. c. pag. 20 ſqq. vbi exiſtimat, *dat het* (libellus Gyraldi) *op een zeer voortreffelijke weijze is opgehelderi, met aanmerkingen van den geleerden Johan Faes, die vry wat meer plaats bezetten, en immer zoo wel verdienen gelezen te werden, als Gyraldus boekje zelf: en zekerlijk, al wie hem zelven aan't kennen dezer gedenkwaardige aloude plegtigheden laat gelegen leggen, kan dit doorwrogte kantwerk van den Heere Faes niet ontberen.* Et interiectis aliis addit: *Zekerlijk men weet van de begraafplaatſen den afkomſt der beelden t' huis te brengen, en die zig daar van uit Gyraldus niet voldaan kent, kan der bewijzen by Faes zat werden.* Praeclare quoque de his Animaduerſionibus ſentit Ienſius in doctisſimis ad Gyraldi Opera Prolegomenis pag. 3, cuius verba non pigebit huc afferre: *Neque ſane abſque maiori luce, quam ante, haec Opera in publicum denuo exeunt: illuſtrata nimirum procedunt Commentario luculentisſimo & ſimul* φιλολογωτάτῳ *Iohannis Faes, Lunaeburgici, in libellum de vario ſepeliendi ritu: qui commentarius Helmeſtadii anno 1676 ab ipſo Faeſio editus, non viſus eſt poſſe hic ſine culpa omitti, quippe in quo, quae breuisſime a Gyraldo, & quaſi per tranſennam fuerant percurſa, luculentius tractantur & proferuntur.*

Notationes in Commentatiunculam Titii de Morte. pagg. 144. Euulgauit Gerhardus Titius, Theologiae Doctor publicus apud Helmeſtadienſes notisſimus, *de Morte & Chriſtiana Praeparatione ad Mortem Commentatiunculam, memoriae Ioannis Schwartzkopſii, Conſiliarii intimi & Cancellarii Guelphici, viri vndiquaque ſummi, conſecratam. Helmeſt. 1676. 4. pl. 3.* quam noſter in linguam Germanicam tranſtulit, dedicatione & praefatione auxit, Notationibus his illuſtrauit atque edidit Mindae. 1679. 12. Reperiuntur autem in his Notatt. non pauca notatu digna v. gr: *de plagio gentilium ſcriptorum ex ſacris & chriſtianis auctoribus.* pag. 13 ſqq: *de immortalitate Animae* pag. 23 ſqq: *de locis Rom. V. 12.* pag. 76 ſqq. *Phil. I. 21.* pag. 113 ſqq: *de voce* **Oſtern** (quam tamen deinceps fuſius explicauit in Annotatt. ad Ieſum Lacrymantem p. 41 ſqq. edit. in 8.) pag. 122 ſq. &c.

Exer-

Digitized by Google

Exercitatio in Renati des Cartes Meditationes. Francof. 1685. 8.

Chriſtus Incoenatus, Libello argumenti rarioris & curioſioris illuſtratus, acceſſu curarum ſecundarum, Examine curatiori Oblationis ſine Communione ex Scriptura, Antiquitate eccleſiaſtica & ratione examinatae Phil. Iohan. Tilemanni dicti Schenck, Sereniſſ. Haſſ. Landgrauii Paſtoris, Prof. Th. & Conſil. Eccleſiaſt. nuperrime editae, auctus & publico tamdem donatus. Bremae. 1693. 8. pagg. 318. Vid. Act. Er. Lipſ. 1693. pag. 529-537. Journ. des Savans 1695 pag. 368 ſq. *Apologiam Oblationis ſine Communione oppoſitam Chriſto Incoenato* dedit Tilemannus in editione tertia *Communionis Peregrinae & Oblationis ſine Communione,* quae prodiit Marpurgi Cattor. 1695. 8. In Epiſtola ad Fratrem, Conſulem Bremenſem, libro huic praemiſſa pag. 2 ſq. queritur atque miratur Tilemannus, quod in Diſſertatione quadam Theologica *de S. Coena ſaepius obeunda* a Theologo Reformato in illuſtri Schola Bremenſi habita publicum noſter nactus ſit defenſorem.

Obelus Peregrinitati Communionis Peregrinae Phil. Io. Tilemanni dicti Schenck, Sereniſſ. Haſſ. Landgrauii Paſtoris, Profeſſoris Theol. & Conſil. Eccleſiaſt. in gratiam verae & ſincerae Antiquitatis fixus. Bremae. 1694. 8. pagg. 302. Vid. Act. Er. 1694. pag. 373 ſeqq. Refutare conatus eſt hunc Obelum Anonymus quidam in *Obelo-Lychnio, ſiue Epiſtola ad Illuſtr. ac Magn. Dominum N. N. de Obelo Diſſertationi de Communione Peregrina inique fixo,* quam Epiſtolam, paginis 52 conſtantem, Tilemannus edit. tertiae Commun. Peregr. adiecit. Vindicias & Apologiae Tilemanni & huic Obelo-Lychnio oppoſitas noſter dudum ad prelum paratas habuit.

Ioh. Doughtei Theologi & Philologi Anglo-Britanni celeberrimi de Calicibus Euchariſticis Veterum Chriſtianorum Liber plane ſingularis, cum eius Praefatione, Marginalibus & Mantiſſa e MS. primo in Germania editus. Bremae. 1694. 8. Vid. Act. Er. Lipſ. 1694. pag. 188 ſqq. Iourn. des Sav. 1701. pag. 143. ſqq.

De Hebdomade Magna ex omni Antiquitate veneranda cum cura eruti atque delibati Libri III. Bremae. 1665. 8. pagg. 563. Contenta horum librorum dabunt Collectores Act. Er. Lipſ. 1695. pag. 302-307, qui exiſtimant, quod *inter libros elegantiſſimos pariter ac vtiliſſimos, quos Auctor orbi erudito donauit, non intacta*

certe

certe praetermitti debeat haec, quam de Hebdomade Magna ſtudioſe admodum perfecit, Commentatio.

Anatome Bullae Iubileae Vniuerſalis Anni M DCC Papae Innocentii XI. Obſeruationibus Theologico-Hiſtorico-Politicis, locupletata. Helmeſt. 1702. 4. Alph. I. pl. 6. Vid. Act. Er. Lipſ. 1703. pag. 7 ſqq. Iourn. des Sçav. 1704. pag. 845 ſq.

Lucubrationes in Bullam Iubileam Anni MDCCI Clementis XI. Papae in Cathedra Romana hodie illuſtris, Disquiſitionibus Theologico-Hiſtorico-Politicis, occaſione Iubilei Secularis Academiae Wittebergenſis, ſua canicie in Germania venerabilis, Anno M DCCII die XVIII. Octobr. ſolenniſſime celebrati, illuſtratae. Helmſtadii. 1705. 4. Alph. I. pl. 19.

Sermone vernaculo edita.

Weinender JEſus ſamt ſeinen liebreichen und heiligen Thränen / nach Anleitung Luc. XIX. 51. In ein und achtzig Betrachtungen / andächtigen Hertzens-Seufftzern / auch einigen Zugaben von Inſchrifften / Liedern und ſonderlichen Andachten / nöthigen Anmärckungen und Regiſtern. Nebſt einer Anweiſung zum Sonn- und Feſt-Tägigen Evangelien- und Epiſtel-Gebrauch erbaulich fürgeſtellet. Stade. 1689. 8. pagg. 975. Zugaben pagg. 90. Annotatt. pagg. 62. Prodiit ſecundum Lipſiae 1706. 4. quae editio Annotationes non ad calcem reiectas, ſed locis ſuis inſertas habet. Auctior quoque eſt, praeter nouam ad lectorem Praefationem, Annotationibus nonnullis illuſtratam, concione quadam valedictoria, itidem Annotationibus exornata. Quae anno conſequente 1707 Brunſuici eadem forma, ſed mutato titulo & amputata praefatione editio lucem vidit, ſcilicet Die unbegreiffliche Liebe des Sohnes GOttes / ea auctore inconſulto atque inuito prodiit.

Der Rechtſchaffen Gottlieb zum wolverdienten Nachruhm des Hoch-Edl. Veſt. und Hochgelahrt. Hn. *Theophili* Schreibers / weitberühmten ICti und des Wol-Ehrw. Capittuls zu S. Martini in Minden Syndici den 6 Ian. 1686 nach Anleitung Rom. VIII. 38. 39. vorgeſtellet. Minden. 1686. 4. pl. 13.

Der Rechtſchaffen Königinn *VLRICAE ELEONORAE* Chriſt-Königliche Lebens-Kron und ſelige Sterbens-Wonn bey allgemeiner groſſen Königl. Schwediſchen Reichs- und Land-Traur über die Weyland Durchläuchtigſte Großmächtigſte VLRICA

ELEONORA, der Schweden / Gothen und Wenden Königinn &c. &c. &c. nach Abſicht der auf die Königliche Beerdigung ausgegeprägten Leich-Medaille und Anleitung Phil. I. 21. der Stadiſchen Gemeine GOttes zu S. Wilhadi vorgetragen. Stade. 1693. fol. pagg. 97. Annotationes pagg. 13.

Der Rechtſchaffen Wackerinn / einer gläubigen Seelen / ängſtliches Jammer-Thal und freudiger Himmels-Sahl zum wohlverdienten Nachruhm der Wollgeb. Fr. Anna Cäcilia Wackers nach Anleitung derſelben Nahmens und Leich-Text aus Apoc. VII. 13. 14. 15. ausgeführet. Stade. 1695. fol. pagg. 60. Annotationes pagg. 10.

Die freudige und erfreuliche Berg-Flucht der gläubigen Kinder GOttes im Leben und Tode / bey Beerdigung des Wollgeb. Hn. Engel von Ehrenthal Ihr. Königl. Majeſt. zu Schweden über die Licenten / Zölle und Acciſen der Hertzogthümer Bremen und Verden Ober-Inſpectoris aus Pſalm. CXXI. 1. 2. vorgeſtellet. Stade. 1699. fol. pagg. 64. Annotatt. pagg. 14.

Zugabe täglicher Morgen- und Abend-Gebehter bey Arends Paradiß-Garten. Stade. 1687. 24.

Vorrede vor dem Stader Geſang-Buch. Stade. 1704. 12. oblong. In Praefatione hac 1) dicta Col. III. 16. Epheſ. V. 18. 19. explicat. 2) hymnorum Eccleſiaſticorum encomia affert. 3) de eorum in promouendo Chriſtianismo vſu agit. 4) de eorum libris ex antiquitate tradit. 5) nonnulla circa hymnos decantandos obſervanda ſuadet & 6) ad hymnos ſedulo decantandos adhortatur.

Metri legibus adſtricta.

Hochzeit Gedicht Hn. Henrici Bregeri, worinn der Römer Hochzeitliche Alterthümer / cum Annotationibus. Lubec. 1665. fol. pl. 3.

Lüneburgiſcher Sieg wegen des geſchlagenen Crequi und eroberten Stadt Trier. Helmſt. 1675. fol. pl. 8.

Amaranti Königsmarchici, quos D. M. Illuſtrisſimi atque Celſisſimi Domini Otthonis Wilhelmi Königsmarckii Comitis in Weſterwick & Stegholm, Dynaſtae in Neuhauſs, Rothenburg &c. S. Reg. Majeſt. Suedicae CAROLI XI. & Sereniſſimae potentisſimaeque liberae Venetorum Reipublicae numeris omnibus abſolutisſimi hac noſtra aetate Generalis Campi Marſchalli & Generalis Gubernatoris Pomeraniae quondam

quondam excellentiſſimi, Herois aduerſus profeſſum nominis Chriſtiani hoſtem in Graecia generoſitate illuſtriſſimi, doctrina excellentiſſimi, prudentia peregrinandi commendatiſſimi, fortitudine eminentiſſimi, felicitate florentiſſimi, legatione expeditiſſimi, virtute ornatiſſimi, obitu tandem beatiſſimi cum Notationibus Hiſtorico-Politicis ſacros eſſe voluit. Mindae. 1690. fol. pl. 18.

Inuitatio Panegyrica Ducatus Bremo-Verdenſis ad Sereniſſimo, Potentiſſimo, Inuictiſſimoque Principi ac Domino, Domino CAROLO XI. Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Magno Principi Finlandiae, Duci Scaniae, Eſthoniae, Liuoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae & Vandaliae, Principi Rugiae, Domino Ingriae & Wiſmariae, nec non Comiti Palatino Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae & Montium Duci, &c. &c. &c. Patriae Patri pio, prudenti, felici, magnanimo, die XII. Kalend. Maii, ſalutem, fidem, obſequium, ſolemniſſime dicendum, iurandum, promittendum. Obſervationibus Hiſtorico-Politicis illuſtrata. Anno Aerae Dionyſianae MDCXCII. Stadae. fol. pl. 15.

Cancellariatus Mindenſis Dn. Wilhelmo Henrico Danckelmanno gratulatus. Mindae. fol.

Nordiſch-Königlicher hoher Traur-Saal und Troſt-Mahl bey dem tödtlichen Hintritt der Durchlauchtigſten / Großmächtigſten VLRICAE ELEONORAE der Schweden / Gothen und Wenden Königinn &c. &c. &c. 1693. fol. Annotatt. pl. 1.

Hocherfreulich und Wunſch-dufftende Nareiſſen / mit welchen dem Hochwollgebohrnen Hn. Erich Dahlberg / CAROLI XI General Gouverneur der Hertzogthümer Bremen und Verden / wie auch Feld-Marſchallen / glückwünſchend auffgewartet. 1693. fol.

Unſterb- und unverderbliches Ehren-Lob einer rechtſchaffenen Gräffin und Feld-Marſchalckin / bey Hochgräfl. Leich-Begängniß der Hochgeb. Fr. *Catharinae Charlottae* von Königsmarck gebohrnen Gräfin *de la Gardie* vorgeſtellet. Stade. 1698. fol. pl. 6.

Inedita.

Panegyricus Graeco-Latinus, quem an. 1666 d. 14 Martii Duci Saxonico obtulit. Vid. eius Inuitat. Panegyr. pag. 3.

Theſes Emiſſariae Hiſtorico-Philologico-Critico-Philoſophico-Theologicae in Diſſertationem de Viſione Dei, quae Scholae Theologis Intuitiua dici conſueuit, quibus ad huius fundamentum pondus accedit ſerie-

que illorum, qui illud ſiue directe ſiue indirecte conuulſum ire ſategerunt, duce rerum in Eccleſia geſtarum memoria, enarrata nono ac decimo Hiobi capite adſeritur, & ab Expoſitione aliorum deuia, praeeunte fonte, vindicatum, genuinae ſuae indoli reſtituitur. Cum Prooemio Vſum Studio Theologiae tum Philologiae tum Philoſophiae apprime vtilem ac neceſſarium aperienti.

De SS. Baptiſmatis Lauacro Exercitationes octo, ex S. Scriptura & omni antiquitate erutae. Exercitationes has, vt & ſequentia 24 ſcripta, ſe iam anno 1674 confecta habuiſſe, tradit in praefat. Libr. de Vulneribus Chriſti.

De Termino Vitae.

De Verſionibus Scripturae S.

De Clara & Intuitiua Dei Viſione.

De Natali Chriſti.

Paralipomena in Paſſionem Domini.

De Veſtibus Chriſti.

De Veterum Velationibus.

De Theraphim.

שוב דוד *ſiue Commentatio in Pſalmum LI.*

Exercitatio in Hiobi cap. XIX. 25. ſqq.

Exercitatio in cap. III. 21. ad Roman. de Particula SOLVM *Pontificiis oppoſita.*

De Vſu Crucis in primitiua Eccleſia.

De Muſica veterum Chriſtianorum & ejus hodierno Abuſu.

De Natali Iudaeorum, Gentium & Chriſtianorum.

De Sphaerulis precatoriis.

De Circumſtantiis.

De Conſcientia.

De Iuſtitia, Iure & Aequitate.

De Iride.

De Imitatione.

De Vſu Philoſophiae & Philologiae in Theologia.

Animaduerſiones in Boethium de Conſolatione Philoſophiae.

Paraphraſis Paſſionis Dominicae ſecundum IV. Euangeliſt. carm. Graeco.

Exercitatio Hiſtorico-Philologica de Strenis. Exercitationem hanc circa an. 1674 conſcriptam ac plane iam abſolutam ideo edere noluit, quoniam a pluribus haec materia pertractata.

In Epiſtolam S. Pauli Apoſtoli ad Philemonem Expoſitio. Opus hoc anno 1680 confectum, vt deſignauit Auctor, exhibebit 1) Textum Grae-

Digitized by Google

Graecum & Vulgatam Verſionem. 2) Verſionem Eraſmi & Lutheri. 3) Paraphraſin metricam huius Epiſtolae Graecam & Latinam, quarum illa centum & quatuor, haec carmine heroico conſcripta totidem verſibus conſtat. 4) Ipſam Expoſitionem ſ. commentarium ſatis prolixum.

Lucubrationum in Notas Noui Teſtamenti difficiliores Ioſephi Scaligeri Libri duo, elaborati circa annum 1681. Notas has Scaligeri ineditas, & ab eruditis dudum deſideratas, licet non omnino omnes, nactus Faeſius, luci publicae, qua erant dignisſimae, eas deſtinauit. Cum vero, vt in praefatione ait, *homo fuerit Scaliger, & notae hae eius non ſint indolis, vt immunitatem ab omni naeuo praeſtare posſint: nonnunquam enim ſtudia partium eum in transverſum agunt: nonnunquam bonus ille Homerus dormitat: nonnunquam Scripturae Sacrae lectionem, probae notae codicum fidem eleuando, diſpungit: nonnunquam rei dignitas infra breuitatem ſubſidit.* Igitur operam dedit noſter, vt, vbi occaſio tulit, reique maieſtas poſtulauit, illis naeuis medicina adferretur. In duos libros omnia digesſit, quorum primus illuſtrat loca Matth. VI. 11. XVII. 11. XXVII. 66. Marc. IX. 49. Luc. XII. 49. XXII. 16. 20. Io. I. 16. III. 5. V. 25. IIX. 25. XII. 15. XVIII. 31. Act. VI. 2. IIX. 17. ſecundus Rom. I. 17. 1. Cor. III. 1. V. 3. XV. 29. 32. Epheſ. V. 26. Ebr. V. 7. XI. 4. 19. 21. 1. Petr. III. 19. IV. 6. Apoc. XVII. 5. Praemiſſa ſunt operi poſt praefationem *de Ioſepho Scaligero Iudicia & Elogia Eruditorum*, numero ad XXXIX.

Vindiciae ſuorum in Libro de Vulneribus Chriſti ſcriptorum aduerſus Iohannis Nicolai Iacobi SS. Theologiae D., ad D. Matthiae Paſtoris & Superintendentis Leiunicenſis Naenias & Tricas in Tractatione Philologico-Hiſtorico-Theologica de Vulneribus Chriſti Ienae anno 1680 excuſa obuias, vndecim Diſſertationibus abſolutae. Allegat has Vindicias in Not. ad Ieſ. Lacr. pag. 31. ed. in 8. Dabo autem Lectori Syllabum Diſſertationum hiſce Vindiciis abſolutarum, prout ipſe Auctor eum expresſit. Diſſertatio (1) de Nomine CHRISTVS, (2) de verſione LXX in loco Eſa. LIII. 5: ἤχθη εἰς θάνατον. (3) de loco Zach. XIII. 6. de Vulneribus Chriſti. (4) de loco Eſa. XII. 3. de Fontibus Salutis. (5) de loci Gen. IV. 23 verſione Lutheri &c. (6) de verſione LXX in loco Gen. III. 15: Αὐτός

σȣ τηρήσει. (7) de verbo illo Eſ. LIII. 5 : מחלל. (8) de verſione Vulgata & Lutheri Io. XIX. 34 : Vnus *militum* aperuit *latus*. (9) de loco Pſalm. XXV. 7. de Peccatis iuuentutis. (10) de loco Apocal. I. 7 : Videbunt, in quem pupugerunt. (11) de loco Gen. III. 15 : Et tu conteres caput ſerpentis ſ. de Proteuangelii Gen. III. quod ad vulnera in pedibus Chriſti ſubobſcura euidentia.

Interpres genuinus mentis de Adoratione Vulnerum Chriſti ad Virum Pl. Reuerendum & Cl. Iohannem Chriſtoph. Holzhauſen verbi diuini Francofurti ad Moenum miniſtrum. Scripſit Holzhauſius circa an. 1687. ad noſtrum literas, in quibus ad verba eius in de Vulner. Chriſti. Exercitatione: *primitiuam eccleſiam nunquam eo proceſſiſſe, vt adorationem vulnerum Chriſti ratam habuerit* quaedam modeſte monuit, & praeterea periculoſam ſibi videri terminorum Metaphyſicorum ad Adorationem Vulnerum Chriſti applicationem indicauit. Quare noſter totum hunc libellum in duo capita diuiſit, quorum I. agit *de Vulnerum Chriſti Adoratione*, quo de Argumento ſibi in *De Vuln. Chr.* rem fuiſſe, dicit, non cum orthodoxis, ſed Pontificiis, qui Chriſtum tantum ſecundum humanam naturam mediatoris officio functum eſſe tradunt, praecipue Aurelio Bracheto, auctore libri de Adoratione Sanguinis & Vulnerum Chriſti. II. *de Terminorum Metaphyſicorum in argumento de Adoratione Vulnerum Chriſti Applicatione*, quos terminos orthodoxiae nullum afferre periculum ait. Quamuis „enim quidquam, ſunt ipſa Auctoris verba pag. 49. terminis „cum Metaphyſicis cum Rhetoricis proponatur, idem tamen „eſt, & idem etiam manet. Quemadmodum enim veſtis acu„picta & variegata idemtitati hominis nihil derogat, & purpu„riſſa non immutat ſubſtantiam virginis; ſic nec termini Phi„loſophici Theologico argumento applicati de eo quidquam „inuertunt, ſed illud ſartum, tectum atque integrum ab omni „metu heterodoxias conſeruant. Habitus non immutat ſub„ſtantiam; nec accidentia diuerſificant ſpeciem. Remiſit Holzhauſius an. 1688 *Epiſtolam Reſponſoriam ad Interpretem Genuinum de Adoratione Vulnerum Chriſti ſcriptam & miſſam ad Virum pl. Reuer. & doctiſſimum Iohannem Faes, Eccleſiae Chriſti, quae eſt*

Stadae,

Stadae, Paſtorem. Hanc excepit noſtri *Interpres Genuinus mentis de Adoratione Vulnerum Chriſti ab Exceptionibus Viri Pl. Reuer. & Cl. M. Io. Chriſtoph. Holzhauſen in Epiſtola ad eundem reſponſoria datis defenſus.*

De Cereis Baptismalibus Veterum Chriſtianorum Libri tres. Agit Lib. I. cap. 1. de Cerei Etymologiae varietate. 2. de Cereorum Synonymia a variis populis petita. 3. de ſubiecto tractando, eiusdemque Adpoſiti ratione. 4. de Cereorum epitheto: Baptismalis, eiusdemque cauſſa. 5. de Cereorum adpoſito: Chriſtianorum. Lib. II. cap. 1. de Cereorum Baptismalium Definitione & Inuentione. 2. de eorum defectu in Baptismo Chriſti & Iohannis Baptiſtae. 3. de defectu in Baptismis Iohannis & Apoſtolorum. 4. de defectu in ſcriptis virorum Apoſtolicorum. 5. de defectu in ſcriptis Patrum ſecundi ſeculi. 6. de defectu in ſcriptis Patrum ſeculi tertii. 7. de Cereorum Baptismalium argumento neganti in ſcriptis Patrum. 8. de eorum praetenſa Pontificiorum Antiquitate. Lib. III cap. 1. de Cereorum Baptismalium Antiquitate in Eccleſia Orientali. 2. de Antiquitate in Eccleſia Occidentali. 3. de eorum veritate teſtimoniis recentiorum confirmata. 4. de Vſu in aliis Eccleſiis frequentato. 5. de Origine. 6. de vſu apud Gentes, Iudaeos & Chriſtianos. 7. de obiecto perſonali, Adultis. 8. de obiecto perſonali, Infantibus. 9. de Cereis Socialibus. 10. de Cereorum Baptismalium Materia eiusque vario vſu. 11. de Veritate, non obſtante Lampadum denominatione. 12. de Quantitate. 13. de Cereorum Baptismalium apud omnes omnium ordinum baptizatos paritate. 14. de Qualitate & Forma. 15. de Conſecratione. 16. de Sumtibus & Prouentu. 17. de Traditione eiusdemque tempore. 18. de Traditionis Modo. 19. de Traditione in dextram & Exhortatione. 20. de Cereorum Baptismalium Ratione Symbolica quod ad Eccleſiaſtica. 21. de Symbolica ratione quod ad Politica. 22. de Symbolica ratione quod ad Agoniſtica. 23. de Symbolica ratione quod ad Oeconomica. 24. de cauſſa Finali. 25. de aliis Cauſſis. 26. de Adiunctis, Proceſſione cum iis. 27. de Adiunctorum Continuatione. 28. de Depoſitione, eiusdemque Circumſtantiis. 29. de Cereorum Baptismalium depoſitorum Armariis Publicis. 30 & vlt. de eorum Cenſura.

Placet

Digitized by Google

Placet adiicere definitionem Cerei Baptiſmalis ex Cap. 1. Lib. II: *Cereus Baptiſmalis eſt ens per aggregationem ex cera & ellychniis, artis beneficio, certa forma ab artifice confectum & flamma ignis accenſum, ſua quidem natura ad lucendum, fugandasque tenebras aptum & accommodatum: Chriſtianorum vero veterum conſilio & praeſcripto ad ſymbola non vna myſtica quoque eleuatum & a Baptiſmo ſacroſancto ſuſcepto in Neofytorum manus traditum, per ſeptiduum ritu ſolemni geſtum & ab illo inde tempore vicisſim cum ſuis ceremoniis in Baptiſterio praeſentibus Clericis & ſuſceptoribus vna cum reliquis pie ac deuote depoſitum.* Opus hoc ex officina quadam Helmeſtadienſi propediem proditurum ſperamus.

De Primitiuae Eccleſiae Infantatione Neofytorum per Concordiam Lactis & Mellis, aut Vini praeguſtati olim peracta Libri tres. Agit Lib. I. cap. I. de Infantationis Primitiuae Eccleſiae per Concordiam Lactis & Mellis aut Vini Inſcriptione & Etymologia. 2. de Voce Concordia ad Infantationis Neofytorum per Lac & Mel aut Vinum actum adplicata. 3. de Infantionis Neofytorum obiecti materialis terminis, & quidem de primo, Lacte. 4. de Termino ſecundo, Melle. 5. de termino tertio, Vino. 6. de termino quarto, verbo Praeguſtandi expreſſo. 7. de Subiecto eiusdemque Denominatione. 8. de Infantationis Neofytorum per Concordiam Lactis & Mellis Exiſtentia in Eccleſia Orientali. 9. de eius Exiſtentia in Eccleſia Occidentali. 10. de Infantat. Neofyt. per Concordiam Lactis & Vini Exiſtentia. 11. de Infantat. Neofyt. per Concord. Lactis & Mellis Exiſtentiae probatione per recentiores. Lib. II. cap. 1. de Infantationis Definitione. 2. de Infantat. per Concordiam Lactis & Mellis conditore, remotiue e ſeculo primo. 3. de Auctore, remotiue e ſeculo ſecundo. 4. de Conditoribus poſitiue. 5. de Auctoribus genuinis propiusque conſideratis. 6. de Infantationis Materia, Lacte. 7. de ſecundo genere Materiae, quae eſt Mel. 8. de Materiae genere tertio, quod eſt Vinum. 9. de Materiarum Conſecratione. 10. de Infantationis Forma. 11. de Infantationis Neofytorum Lactis & Mellis aut Vini Praeguſtatione. 12. de obiecti perſonalis Vniuerſalitate. 13. de Inſtrumento ſiue Medio. 14. de Infant. per Concord. lactis & mellis aut vini Porrecti Calicis Formula. 15. de Infantat. Tempore. 16. de

Digitized by Google

16. de praetenſa Iteratione. 17. de opinione Salmaſii. Lib. III. cap. 1. De Infantationis Neofytorum per Lactis & Mellis aut Vini Concordiam Simulacris in Gentiliſmo. 2. de Infantationis Miſtura in Gentiliſmo. 3. de eius Praetextu e Sacris veteris Pacti. 4. de Praetextu e ſacris noui Pacti. 5. de Fine. 7. de Effectu. 8. de Symbolo. 9. de Symbolorum Dilucidatione vlteriori. 10. de Symbolo tertio, nimirum Caritate. 11. de Symbolo alio, nimirum Miſericordia Dei. 12. de Infantat. Neofyt. per Concord. Lactis & Mellis altero conſiderationis modo quod ad Lac. 13. de Symbolo vlteriori quod ad Lac. 14. de Symbolis aliis quod ad Lac. 15. de Symbolo quod ad Mel. 16. de Symbolo vlteriori quod ad Mel. 17. de Symbolis aliis quod ad Mel. 18. de Symbolo quod ad Vinum. 19. de pluribus aliis Symbolis quod ad Vinum. 20. de Duratione & Abrogatione. Addo Infantationis huius definitionem ex L. I. cap. 1: *Infantatio eſt ritus Eccleſiae primitiuae ab eius Antiſtitibus pie olim inſtitutus Poſtbaptiſmalis, quo Neofytis Lac & Mel, vel etiam Lac & Vinum a ſuſcepto Baptiſmo praeguſtatum fuit, in regenerationis aliorumque plurium ad Chriſtianiſmi decus pertinentium ſymbolum.* Tractatus hic Helmeſtadii mox prelum ſubibit.

Illuſtris Liber Baro Samuel Pufendorfius de Habitu Religionis Chriſtianae ad Vitam Ciuilem Libro ſingulari, Illuſtramentis Theologico-Politicis fuſe illuſtratus & cum Acceſſionibus tum lemmatum, tum Animaduerſionum ad aliqua loca e Politica Adriani Houtuyn, ICti Bataui, tertium edendus.

Allerſeeligſte JEſus-Ruh nach Anleitung aller vier Evangeliſten Matth. XXVII. 57 66. Marc. XV. 42-47. Luc. XXIII. 50-56. Io. XIX. 38-42. In dreyhundert Betrachtungen / Andächtigen Hertzens-Seüffzern auch einigen Zugaben von Innſchrifften/Lidern/Anmärckungen und Regiſtern / nebſt nützlicher Anweiſung zum Sonn- und Feſt-tägigen Evangelien und Epiſtel-Gebrauch erbaülich abgefaſſet.

Iudae Coenati mentionem facit in Obelo Peregrin. Commun. Peregr. Tilem. fixo pag. 251.

Exercitationem de Αὐτοχειρίᾳ pollicetur in Libr. de Vulner. Chriſti §. 185.

Librum de Fine Paſſionis & Mortis Chriſti citat in Nott. ad Titium de Morte pag. 20. 94. in Nott. ad Gyrald. pag. 109. &c. edit. Helmeſt.

Digitized by Google

Librum Obſeruationum in Diſput. D. Ioachimi Hildebrandi de Lacrymis Chriſti allegat in Annotatt. ad Ieſ. Lacr. pag. 25.

Libri de Sanguine Chriſti mentionem iniicit in Nott. ad Commentat. Titii de Morte pag. 88. *Ampliſſimum*, dicit, *& ad prelum paratiſſimum* in Annotatt. ad concionem cui tit: Der Rechtſchaffen Wackerinn / einer gläubigen Seelen / ängſtliches Jammer-Thal und freudiger Himmels-Sahl pag. 77.

Obſeruationum Liber, ad quem remittit in Nott. ad Tit. de Morte pag. 42. 48. 55. 57. 58. 61. 96. & alibi ſaepius.

De Feſto Corporis Chriſti Librum commemorat in Chriſt. Incoenat. pag. 204. 222. 228.

Anatome Bullae ab Innocentio XII anno 1694 publicatae, ad quam prouocat in Anat. Bull. Iub. A. 1700 Innoc. XII, pag. 12. 23.

Clementis XI Papae Romani Bulla examinata altera (nam binas ſe daturum ſpoſpondit in Praefat. Anatomes Bull. Innoc. XII.) haeret in promiſſis.

De Sacco ſ. Cilicio Librum promittit in Libr. de Hebdom. Magn. pag. „ 243 ſq. vbi ita: Ecquid vero cilicium proprie ſit, non eſt, „ quod multis exponam. Peculiari libro illud deſcriptum „ exhibere operae pretium duxi —— Plures non addo. Dabit „ liber noſter propediem in publicum proditurus.

De Clauibus Veterum Libri diu in Belgio hoſpites fuere, ut &

Liber de Dominica in Albis. Vid. eius Praefat. Anat. Bull. Innoc. XII. A. 1700 ſub fin. Haeret Amſtelodami in manibus Waesbergiorum.

M. Georgius Clemens de FINCKH *S. S. Theologiae Studioſus.*

Ioannis Henrici de FINCKH ex antiqua generoſorum Finckhiorum in Miſnia oriundorum gente prognati, Praepoſiti & Paſtoris Neofeldenſis filius, natus Neofeldae an. 1687. Literarum elementa quum a praeceptoribus domeſticis eſſet edoctus, atque Harburgi *Grünenbergium* Rectorem, hodie in Academia Roſtochienſi SS. Theologiae Profeſſorem celeberrimum & Hamburgi *Berckenmeyerum* & *Wideburgium* audiuiſſet, Stadenſi noſtro Gymnaſio nomen dedit, & praeter publicam inſtitutionem, *Richeti* quoque noſtri domeſtica ac priua-

priuatiſſima vſus eſt. Inde an. 1707 Wittebergam abiit, vbi an. 1709 primam ex Philoſophia lauream adeptus, *Val. Ern. Loeſcherum*, Theologum praeſtantiſſimum, peculiari Epiſtola *de Phil. Naudaei nupero ſtudio Supralapſariorum errores reuehendi* nouis ſuis honoribus gratulantem habuit. Sub auſpicium anni 1710 Dresdam petiit, ibidemque non ſolum Loeſcheri conuictu, ſed & inſtitutione gauiſus eſt. Hinc denuo Wittebergam ſe contulit, & exinde tandem in patriam reuertit.

G.

Tobias GREVLICH *Aduocatus & Notarius.*

Gorlicio-Luſatus, ex Gymnaſio patrio an. 1672 Ienam venit, vbi duos annos commoratus eſt. Varia deinde fata ob rem anguſtam domi expertus, innotuit tandem Chriſtoph. Henr. de Walvvitz, Duci militari, qui eum tam militiae quam negotiis domeſticis adhibuit, perque ſex annos aluit. Anno 1680 forum ingreſſus eſt, creatus eodem anno Notarius. Aduocatis deinceps apud nos additus eſt, factusque in Curia noſtra Procurator & an. 1692 Ciuitatis Stadanae Scriba publicus.

Hermannus GROOTE *in Collegio Iuſtitiae & Curia Prouinciali per Ducatus Brem. ac Verdenſ. Protonotarius.*

Vitam auſpicatus eſt Verdae. Parentes eius fuere *Hermannus* GROOTE Senator ciuitatis Verdenſis, & *Anna Catharina*, *Hermanni* WOLFFEN Notarii publici, filia. Scholae patriae claſſes omnes cum pertranſiſſet & praeterea domeſticorum praeceptorum cura nec minus priuata inſtitutione *Io. Vagetii* Rectoris Verdenſis, poſtea Profeſſoris Gymnaſii Hamburgenſis clariſſimi, per biennium eruditus fuiſſet, Bremam abiit, vbi tres annos cum dimidio in illuſtri Gymnaſio conſumſit. Adhaeſit ibi potiſſimum *Gerhardo Meiero*, Theologo literarum humaniorum peritiſſimo, eundemque etiam

G 2 priuatim

Digitized by Google

priuatim docentem auſcultauit. *Schwelingium* vero & *Rheden'um* Inſtitutiones Iuris ac Struuii Iuriſprudentiam interpretantes audiuit, poſitisque hactenus fundamentis, ſcholis in Hug. Grotii Librum de Iure Belli & Pacis collatis, ſuaſu praedicti Meieri, interfuit. Brema diſceſſit Helmeſtadium anno 1683, eo quidem animo, vt per duos annos doctoribus Iuliis auditorem ſe praeberet. Verum graui de cauſa mutauit conſilium, & exacto ibi breui tempore per Wittebergam atque Lipſiam in Almam Salanam ſe contulit, vbi per biennium & quod excurrit, praeeuntibus *Friſenio* & *Müllero*, ICtis egregiis, legum ſtudio incubuit. Iena Bremam reuerſus eſt, ibidemque ad operam forenſem animum adiecit. Anno 1689 d. 6 Septembr. Illuſtriſſimus Baro Henricus Horn, Gubernator Generalis Ducatuum Brem. ac Verd. eum ſibi Secretarium adſciuit. Quo anno 1693 defuncto, eadem porro munia ſubiit apud Ericum Dahlberg & Georgium Mellin, Campi-Mareſchallos & iisdem Ducatibus ſummo cum imperio praefectos. Crebrae autem iſtae viciſſitudines eum induxerunt, vt ad tranquillius aliquod officium adſpiraret. Voti compos factus eſt an. 1697 d. 10 Maii, delata ipſi Secretarii in Senatu Regio Iuſtitiae prouincia. At vero Comes celſiſſimus Nicolaus Gyldenſtern, Campi-Mareſchallus & Ducatuum Brem. ac Verd. Generalis Gubernator, ſummus nunc in Senatu Bellico Holmienſi Praeſes, quum anno 1698 in has prouincias perueniſſet, itidem eum a literis ſecretioribus ſibi eſſe iuſſit. Abnuere non potuit noſter: itaque praeter demandatum ſibi munus ordinarium huic quoque officio per annum & quod excurrit, ſatisfecit. Fidem ac induſtriam, quam Dominis ſuis probauit, oſtendunt egregia teſtimonia, quibus illum ornare non detrectarunt. Anno denique 1706 d. 18 Septembr. auſpicio Regio Protonotarii munus ei clementiſſime fuit conceſſum.

H.

Iodocus HACKMANNVS I. V. D. *Iuſtitiae & Conſiſtorii Regii Conſiliarius, Archi-Dicaſterii Regii in Ducatibus Bremenſi & Verdenſi Aſſeſſor.*

In

Digitized by Google

In lucem editus eſt Stadae an. 1642 d. 23 Auguſti, patre M. *Iacobo* HACKMANNO, S. R. M. Suecicae a conſiliis ſacris, ac Conſiſtorii Regii in Ducatu Bremenſi & Verdenſi Aſſeſſore, Reu. Miniſterii Stadenſis Seniore & ad D. Nicolai Paſtore primario atque Scholarcha, viro aetate non magis quam meritis venerando; matre *Anna Margareta*, *Iodoci* CAPELLI Hamburgi ad D. Catharinae Archidiaconi filia. Proauum maternum habuit *Georgium* DEDEKENNVM, Theologum celeberrimum & *Conſiliorum Theologicorum* editorum laudatiſſimum. Artium liberalium rudimentis in Gynaſio patrio & Hamburgenſi probe munitus, an. 1661 miſſus eſt a patre in Academiam Gryphicam, Sereniſſimi Regis mandato tum temporis hoc exigente. Ibi vero rerum diuiniorum ſtudiis totum ſe tradere conſtituit, nihil aliud intendens, ſi Numini ita videretur, quam vt in Theologia doctoris Academici munere aliquando fungeretur. Anno vno Gryphiswaldiae exacto, cum ingenii ſui dotes ſubinde in publicum produxiſſet diſputando, concionando, declamando, imo raro exemplo de argumentis exquiſitis, Graeco pariter ac Hebraeo ſermone cum audientium applauſu memoriter dixiſſet, tandemque publice ventilandam propoſuiſſet ſub *Io. Michaelis* praeſidio *Diſſertationem Philologicam de Voce Selah eiusque vero & genuino ſenſu, quatenus ex principiis Hermeneuticae ſacrae indagari & exquiri poteſt* (pl. 4½. 4°.) inſigni teſtimonio ornatus in Regiomontanam Boruſſorum Academiam abiit, &, ſtudiorum genere graues ob cauſas mutato, iuri operam dedit. Inde ob iniqua tum temporis Academiae fata in Poloniam conceſſit, nactus commodam peregrinandi occaſionem, quum duobus nobiliſſimis iuuenibus Boruſſis gubernator eſſet praefectus. Regni huius ſtatum ab aliis diuerſum penitius ipſi licuit cognoſcere, cum frueretur gratia ac fauore Illuſtris ab Hoeuerbeck, Legati Brandenburgici miſſi ad comitia Polonica Varſouiae inſtituta. Gedano poſtea in Belgium per mare Balthicum & oceanum Germanicum aduectus, vltimam ſtudiorum iuridicorum telam pertexuit. Anno 1668 in inclyta Academia Argentoratenſi pro ſummis in vtroque iure honoribus, ſine praeſide, diſputauit: ipſum vero Doctoris titulum, interiecta itinerum neceſſitate impeditus, anno demum 1671 d. 28 Decembr. promotore Gothofredo Stöſſero I. V. D. & Pand. Prof. P. abſens eſt

conſequutus. Interim Spiram ſe contulit, & ad Cameram Imperialem aliquandiu haeſit, vt rerum Cameralium peritia accuratiori inſtrueretur. Reuerſus in patriam, legitimis ſuffragiis an. 1672 in Senatum cooptatus & Praetor electus fuit. Hinc an. 1676 Conſul Reipublicae patriae factus, ac praeterea an. 1680 deſignatus eſt Conſiliarius Prouincialis & Archi-Dicaſterii Regii Aſſeſſor. Tandem anno 1701, cum Illuſtriſsimum Regimen Regium nec ſcientem nec ambientem commendaſſet, Rex noſter Clementiſsimus a Conſiliis Iuſtitiae ipſum eſſe iuſſit: cui muneri grauiſsimo, aeque ac Conſiliarii Conſiſtorialis ad diem 4 Decembr. 1710, quo die morte defunctus eſt, magna cum laude praefuit, JCtis Graece non tantum ſed & Hebraice doctiſsimis, quorum perrarus noſtra aetate prouentus eſt, merito accenſendus.

Scripta.

Diſſertatio Inauguralis de Iure Albinagii ad Auth. Omnes peregrini, C. Comm. de ſucceſſ. Argentorat. 1668. 4. pl. 7.

Tractatus Iuridicus de Confinatione. Cum Praefatione, ſummariis, ſerie capitum, rerumque & verborum Indice. Stadis. 1679. 4. pagg. 146.

Tractatus Iuridicus de Iure Aggerum; von Teichen und Dämmen/ und deren Gerechtigkeit. *In quo inexplorata hactenus haec Iuris materia, vna cum ſuis Pertinentiis, ac in ſpecie Clauſtris & Emiſſariis (vulgo* Schleuſen und Sielen*) excuſſe traditur & ad vſum fori exigitur. Cum Praefatione, Summariis, Serie capitum, rerumque & verborum Indice. Impenſis Regiis.* Stadae. 1690. 4. pagg. 516. Addita eſt *Mantiſſa, continens ſelectas quaſdam Conſtitutiones Aggerales.* pagg. 136. Vid. Act. Erud. Lipſ. 1690. pag. 209 - 216.

Conſilia Iuridica ſelectiora concernentia res varias non leuis momenti, de quibus ſententiam rogatus fuit, luci publicae dare & repetendae editioni *Tractatus de Iure Aggerum* adiicere in animo habuit, verum mors ipſius inopinata hunc conatum interrupit.

Chriſtophorus Henricus ab HANFSTENGEL *Reu. Miniſterii Candidatus.*

Duxit

Digitized by Google

Duxit vitae primordia Buxtehudae an. 1684 d. 18 Maii. Studiis literarum in Gymnaſio Stadano ab anno 1700 vsque ad 1703 operam nauauit, & *Tob. Eckhardi*, tunc in noſtro Gymnaſio, hodie vero in Illuſtr. Quedleo Rectoris ſpartam ornantis, *Speciminis Technicae Sacrae Diſſertationem quartam*, *ediſſerentem Verba Artis ſacra* d. 25 April. 1703 publicae diſquiſitioni ſubmiſit. Bremam porro ſe contulit & Athenaei Regii ciuibus per annum interfuit. Studia Academica Wittebergae an. 1704 m. April. auſpicatus eſt & biennio elapſo Lipſiae per ſemeſtre anni ſpatium continuauit, ac Gryphisvvaldiae, quam adiit an. 1707, abſoluit. In patriam rediit an. 1709 m. Maio, &, exploratis m. Octobr. eiusd. anni in Concilio Eccleſiaſtico Ducatuum Brem. ac Verd. ipſius in ſanctioribus ſtudiis profectibus, adſcriptus eſt S. Miniſterii Candidatis.

Quaeſtionem Theologicam: An Ioſephus honores ſuos Iacobo, patri, per nouem annos integros non indicans, quartum praeceptum non violauerit? Praeſide Magnif. *Io. Frid. Mayero* publice ventilandam propoſuit Auctor & Reſpondens. Gryphisvv. 1708. 4. pl. 4½. Vid. Nou. Lit. Germ. 1709. pag. 128.

Ioachimus HARDER *Quintae Claſſis Scholae Stad. Collega.*

Vidit lucem Stadae an. 1653 d. 22 Nouembris. Scholam patriam, in qua docentes ſuo tempore omnes audiuit, an. 1675 cum Gymnaſio Hamburgenſi permutauit. Anno 1677 Almam Leucoream inuiſit, cumque ibidem biennii ſpatio vixiſſet, informationem adoleſcentis nobili genere nati in Saxonia ſuſcepit. Anno 1683 reuocatus eſt in patriam & poſt duo luſtra, an. ſcilicet 1693 ſcholae Stadanae Collega denominatus.

Iohannes Georgius HARTMANN *pagi prope Stadam, vulgo Camp dicti, Praefectus.*

Natus eſt Rothenburgi in Ducatu Verdenſi an. 1665 d. 11. Iunii. Academiam Viadrinam adiit anno 1684, inque ea iuris ſtudio operam

ram dedit. An. 1691 d. 16 Nouembr. Praefectura Coenobii noui, quod Stadam inter & Buxtehudam eſt, & an. 1700 idem officium in campo ſuburbano Stadenſi ei fuit demandatum.

Ioachimus HEISLING *Reipublicae Stadenſis Conſul, Conſiliarius Prouincialis & Archi-Dicaſterii Regii in Ducatibus Brem. ac Verd. Aſſeſſor.*

In lucem editus eſt Buxtehudae an. 1654 d. 21 Auguſti. Primas in bonis literis lineas duxit in ſchola patria, donec anno aetatis decimo & quinto, parentum iuſſu ac voluntate, Luneburgum acceſſit, vbi priuata inſtitutione *Guilielmi Mechouii*, Inſpectoris Nobilium & Poeſeos ac Eloquentiae in illuſtri, quod ibidem eſt, Gymnaſio per triennium vſus eſt, vltimoque, quem Luneburgi conſumſit, anno reliquis Profeſſoribus publice docentibus audiendi operam nauauit. Halam porro Saxonum ſalutauit, & *Bergero*, ſceptra Academica tum tenenti, aliisque doctoribus publicis induſtrium ſe praebuit auditorem. Domum inde reuerſus, doctoribus ſuis adiungere e re ſua eſſe duxit *Ioannem Ludouicum Hannemannum*, celeberrimum hodie in Academia Kilonienſi Profeſſorem, cuius inſtitutione per ſemeſtre ſpatium ſolus fruitus eſt. Tandem adiit Roſtochium, ibidemque vltimam ſtudiorum telam pertexuit. Cum ad exitum vergeret annus 1678 Stadam noſtram venit, vt rerum iuridicarum notitiam, quam hactenus ſibi laudabiliter acquiſiueret, in vſum fori conferret. Anno 1690 d. 6 Maii Prolocutor (Bürger-Worthalter)/ annoque 1693 d. 11 Nouembr. Senator & Camerarius fuit electus. Conſulis vero dignitate auctus eſt anno 1702 d. 11 Nouembr., conſtitutus paulo poſt Conſiliarius Prouincialis & Archi-Dicaſterii Regii Aſſeſſor.

Henricus HEISLING I. V. D. *Reipubl. Stadenſ. Syndicus & Regiorum Dicaſteriorum in Ducatibus Brem. ac Verd. Aduocatus ordinarius.*

Vitam

Digitized by Google

Vitam hanc ingredientem anno ſaeculi ſuperioris ſeptuageſimo Buxtehuda excepit. Parentes nactus eſt *Petrum* HEISLING & *Caeciliam*, natam ex *Henrico* a DAMM ciue ac mercatore Buxtehudenſi. Literarum rudimentis in ſchola patria probe perceptis, Stadenſe noſtrum Gymnaſium an. 1685 acceſſit, vt in eo doctrina, quae ab humanitate nomen accepit, magis excoleretur. Neque ſpes eum fefellit, poſteaquam *Io. Hartm. Mülero* Rectori & *Io. Ern. Büttnero* Conrectori per aliquot annos induſtriam ſuam probauit. Ex hac bonarum mentium officina an. 1691, cum praeceptores & commilitones publice valere iuſſiſſet, Ienam ſe recepit, interque eos nomen ſuum profeſſus eſt, qui iuris ſtudio operam impendunt. Ibi *impigre obiuit ſcholas*, ſunt verba Io. Phil. Sleuogtii in Programm. Lectioni auſpicali, qua noſter ad legem I. C. *Quando lic. vnic. ſine iud. vind.* commentatus eſt, praemiſſo pag. vlt., *& priuatas & publicas: in quibus grato ore atque ex merito celebrat Lynckerianas cum Mullerianis, nec meas voluit ſilentio praeteriri: in illis praeterea multum ſe debere agnoſcens nobiliſſimi viri Chriſtiani Schroeteri, hoſpitis tum ſui, hodie Anteceſſoris celeberrimi, item Floerkianis & Hartungianis praelectionibus. Neque neglexit & vſitatas, quae diſputando inſtituuntur, ingenii ac linguae exercitationes, quibus ad forenſia certamina, & vel intorquendi in aduerſarium tela, vel declinandi aut repellendi artificium atque alacritatem paramur.* Conſumtis in Academia Ienenſi tribus annis, hauſtaque non leui rerum iuridicarum cognitione rediit in patriam, nec multo poſt Stadam repetiit, cauſarumque patrocinium in ſe ſuſcepit. Aduocatis ordinariis adſcriptus eſt anno 1701, poſteaquam ſummis in vtroque iure honoribus, quos Ienae d. 13 Aug. anni praedicti 1701 impetrauit, aditum ſibi ad hoc munus parauiſſet. In Senatum Stadenſem receptus eſt anno 1705, die quippe 27 Ianuar. ciuitatis huius Syndicus renunciatus.

Conſcripſit & ſub praeſidio *Adrian. Beieri* defendit *Diſſertationem Iuridicam Inauguralem de eo, quod iuſtum eſt circa Vulnera liberorum hominum.* Ien. 1701. 4. pl. 5.

Iacobus HELDBERG *Regiminis Regii, vt & Conſiſtorii per Ducatus Bremenſem & Verdenſem Conſiliarius.*

H Patriam

Patriam nactus eſt Cellam, vbi anno 1649 lucem adſpexit. Patrem coluit *Ludolphum* HELDBERG Senatorem & mercatorem; matrem vero *Margaretam* RVDEN, ortam ex familia, quae a longo tempore Hildeſiae floruit. Literarum ſtudiis cum eſſet dicatus, ſtrenue iis operam impendit in Gymnaſio Bremenſi; neque minori diligentia Luneburgi eadem continuauit. Academiae rite praeparatus, Almam Iuliam ſalutauit & legum ibi doctoribus adhaeſit. Inde ad Academiam Viadrinam, tanquam ad bonarum artium mercaturam profectus eſt, ibidemque ſtudiis Academicis finem impoſuit. Commoratus poſtea aliquantum in aula Electorali Brandenburgica & Caeſarea Viennenſi, ad itinera ſe accinxit, variasque regiones inuiſit. Confectis itineribus, primum Dux Brunſuicenſium & Luneburgenſium, tum etiam Elector Brandenburgicus Halberſtadii officiis publicis eum admouit, vbi etiam Comes de Witgenſtein Directorium Cancellariae in Comitatu Hohenſteinenſi ipſi concredidit. Luſtri fere ſpatium cum ibi exegiſſet, grauibus adductus rationibus, muniis his ſe abdicauit. Deinceps CAROLVS XI. glorioſiſſimae memoriae Rex, facto ſibi ſubmiſſe huius rei indicio, Miniſtris ſuis clementiſſime eum adſcripſit, & ſplendidum Regiminis Regii per Ducatus Bremenſem ac Verdenſem Conſiliarii munus anno 1689 ipſum obire iuſſit.

Hartuigus HINTZE *Dicaſteriorum Regiorum Aduocatus & Ciuium Stadenſium Prolocutor.*

Natus eſt Stadae an. 1669 d. 16 Octobr., patre *Heinone* HINTZE Praetore: matre *Catharina Eliſabetha*, *Henr.* STRVVERI Conſulis Buxtehudenſis filia. Iuris ſtudio a patre conſecratus, poſtquam ſcholae patriae ad annum vsque 1689 erudiendum ſe permiſiſſet, Wittenbergam adiit, vbi legum ſcientiae prima elementa plus ſimplici vice abſoluit. Iis quoque ibidem interfuit, qui an. 1690 in palaeſtra diſputatoria ſub praeſidio *Io. Caſp. Brendelii* I. V. D. *Sutholti Diſſertationes vndeuiginti* ventilarunt, & non ſolum Opponentis munia ſaepe geſſit, ſed etiam Reſpondentis officio functus eſt. Cum per biennium Wittenbergae ſubſtitiſſet, pater eum ad ſe iuſſit redire: anno

Digitized by Google

anno autem 1692 m. Iunio in celeberrimam Salanam ablegauit, vbi Illuſtris *Lynckeri* & *Schroeteri* per biennium fere fuit auditor. Defuncto enim an. 1694 circa quadrageſimale tempus parente in patriam rediit, & paulo poſt, menſe ſcilicet Martio in eorum numerum receptus eſt, qui cauſarum patrocinium in Iudiciis Regiis, Stadam noſtram illuſtrantibus, in ſe recipiunt. Ciuium Aduocatus, qui Prolocutor (Bürger-Worthalter) dici ſolet, vnanimi conſenſu Ampliſſ. Senatus patrii d. 16 Maii an. 1709 eſt denominatus.

Ioannes Henricus HINTZE *Ordinis Equeſtris per Ducatus Brem. ac Verd. Secretarius.*

Stadae natus an. 1661 d. 21 Ianuarii, patrem habuit *Ioannem* HINTZE, Fiſci in Ducatibus Brem. & Verd. Aduocatum Regium, auum *Ioannem* HINTZE, Senatorem Stadanum & Reipublicae Praetorem. Mater ipſi fuit *Chriſtina Maria* SASSEN, filia *Andreae* SASSEN Conſiliarii Archiepiſcopi Bremenſis & eiusdem in Dynaſtia Neuhauſen Praefecti. Bonis artibus & literis imbui coepit in ſchola patria, ex qua an. 1676 Bremam ſe contulit, vbi triennii ſpatio inchoatam ſtudiorum telam pertexuit. Interea vero cum parens vitam depoſuiſſet, Stadam repetiit, rebusque domeſticis per annum fere curatis, adiit Academiam Roſtochienſem, quae per tres annos ciuibus ſuis eum annumerauit. Inde in patriam reuerſus, id dedit operam, vt hauſtorum iuris praeceptorum vſum aliquem in forenſibus exercitationibus experiretur. Secretarii munus ab Ordine Equeſtri Ducatuum Brem. ac Verd. obtinuit an. 1688, & officium hoc per viginti & tres fere annos non ſine laude ac propenſa ſuperiorum voluntate adminiſtrauit.

Simon Henricus HINTZE *Paſtor ad D. Ioannis & Diaconus ad DD. Coſmae ac Damiani.*

Frater *Hartuigi* HINTZE, lucem aſpexit Stadae an. 1667. 4 Non. Aprilis. Primis literarum rudimentis a praeceptoribus priuatis im-

Digitized by Google

butus, maiores profectus in Gymnaſio noſtro fecit, *Diecmanno* ac *Mülero* Rectoribus & *Büttnero* Conrectore, viris de Gymnaſio Stadano longe meritisſimis. Valedixit huic publica oratione an. 1689 3. Non. April. habita, eodemque anno in Almam Leucoream ſe contulit, vbi doctores celeberrimos *Deutſchmannum*, *Loeſcherum*, & *Waltherum* Theologos, *Strykium* ICtum, *Vaterum* Medicum, *Röhrenſeum*, *Schurzfleiſchium* & *Donatum* Philoſophos audiuit. In Cathedra quoque Lutheri aliquoties ſe oſtendit: quippe Praeſide *Caſp. Loeſchero* non ſolum partem quandam *Synopſeos Controuerſiarum Abr. Calouii*, ſed etiam *Diſputationem ſextam Amoenitatum Euangelicarum* eiusdem Loeſcheri publice defendendam ſuſcepit. An. 1692 vicinas Academias Jenam & Erfurtum aliquot ſeptimanarum ſpatio luſtrauit. Reuerſus inde Wittenbergam, cum porro ſtudiis aliquantum ibi incubuiſſet, d. 23 Maii anni 1693 Lipſiam ſe contulit, & *Carpzouio*, *Schmidio*, *Seligmanno*, *Weidlingio* & *Pippingio* auditorem ſe praebuit. Exacto in Academiis integro quinquennio, ob mortem inopinatam parentis reditum in patriam maturauit, in qua an. 1699 d. 5 Nouembr. ad Paſtoratum Ioanneum & Diaconatum DD. Coſmae ac Damiani plurium ſuffragiis electus eſt, quae munia orſurus Malach. II, 7. pro concione explicauit.

K.

Ioannes Chriſtianus KERSTENS *Regiorum Dicaſteriorum Aduocatus.*

In lucem editus eſt Stadae an. 1688 menſ. Octobri. Ex Gymnaſio patrio an. 1706 Bremam abiit, vbi *Sommerfeldius* ſtilum, *Schwelingius* philoſophiam & *Coccejus* atque *Rhedenius* (quo Praeſide *Poſitiones Controuerſas ex titulis 3-9. Lib. II. Inſtitut.* publicae ventilationi ſubmiſit) iuris elementa eum docuerunt. An. 1707 Academiam Gieſſenſem ſalutauit, in qua ducibus *Webero*, *Hertio*, *Mollenbecio* vtroque & *Orthio* iuris ſtudium continuauit & *Schnobelii Diſputationes ad vniuerſum Ius Iuſtinianeum* per integrum annum 1708 ſub diſputationis incudem reuocatas praeſide *Io. Henr. Mollenbecio* publice defendit. Suis redditus an. 1709, in Curia patria cauſarum patronum egit, menſeque Ianuario anni ſubſequentis iis adſcriptus eſt, qui in Dicaſteriis Regiis Aduocatorum munere funguntur.

Hen-

Digitized by Google

Henricus KLVVERVS *Regior. Dicaſt. & Curiae Stadanae Aduocatus ac Notarius.*

Buxtehudae natus eſt anno 1686 d. 27 Iulii, patre *Iac. Io.* KLVVER ciue, matre *Catharina* RITZMANNIA. Ex ſchola patria in Stadenſem an. 1701 translatus eſt, & ex Gymnaſii noſtri coetu ſupremo an. 1706 Bremam ſe contulit. Ibi per duos annos Athenaei Regii pariter ac Gymnaſii illuſtris ciuis fuit, iurisque praecepta deguſtauit, & *Poſitiones Controuerſas ex Titulis 10-18 Libri II Inſtitut. excerptas*, in quibus *de Teſtamentis* agitur, Praeſide *Caſp. a Rheden* publice aſſeruit. Ienam profectus eſt an. 1708 m. Martio, vbi ductu *Schroeteri*, *Hertelii* & *Dithmari* ſtudio iuridico, & *Struuii*, *Kresſii* ac *Stollii* auſpiciis hiſtoriae ac philoſophiae operam dedit. Redux in patriam anno 1710 Stadam mox reuertit, & paulo poſt ad cauſas in foro agendas animum adiecit. Eiusdem anni d. 30 Iunii Hamburgi Notarius creatus a Generoſisſimo *Arnoldo Henrico von Möller*, D. S. Caeſ. Mai. Conſiliario atque Comite Palatino, ac d. 9 Septembr. a Summo Tribunali Wismarienſi in indicem Notariorum eſt relatus.

Scripta.

Kurtzes Bedencken über die Juriſtiſche Frage: Ob eine ſchwangere Frau/ wenn ſie wärender Reiſe auff dem Wagen eines Kindes geneſen / für ſelbiges Fuhr-Lohn zu geben gehalten ſey? Bey müßiger Stunde entworffen. Jena. 1709. 4. pl. 3.

Commentatio ad ICtorum Axioma: Cuilibet in ſuo ad coelum vsque aedificare licet. Vbi Axioma breuiter explicatur, Quaeſtiones ex eo fluentes reſoluuntur, nec tantum Ampliationes, ſed & multae exceptiones in iudicio ſaepe occurrentes adduntur. Ienae. 1709. 4. pl. 3.

Electa de Iure Canum vom Hunde-Recht/ *vbi praecipuae Controuerſiae, quae circa Canes accidere poſſunt, explicantur & diſſoluuntur.* Stadae. 1711. 4. pl. 6. Vid. das Neue der heutigen Welt 1711. 23 Vorſtell. pag. 180 ſqq.

Ioannes KNIPPENBERG *Reipubl. Stadenſis Conſul, Conſiliarius Prouincialis & Regg. Dicaſteriorum per Ducatus Brem. ac Verd. Aduocatus.*

Barckhuſae in Weſtphalia natus eſt an. 1642. d. 10 Auguſti, patre *Clamero* KNIPPENGERG, fideliſsimo ibidem ſacrorum interprete. Prima literarum rudimenta ab ipſo parente edoctus ſcholam Herefordienſem ingreſſus eſt, ex qua cum pater, facta pace Germanica, ad aliud officium in Wurſatia admoueretur, in Hamelenſem an. 1655 tempore autumnali ſe contulit. Inde in Stadenſem anno 1658 miſſus, per ſex annos *Io. Phil. Tonſori* Rectori, *Frid. Ruſio* Conrectori & *Nicol. Langerhanſio* Subconrectori diligens auditor adfuit. Ienam abiit an. 1664, iuris ſtudio, cuius primas lineas Stadae iam duxerat, ſtrenuam operam nauaturus. Quem in finem ſcholis *Auianeis*, *Beierianis* ac *Schmidelianis* interfuit, & *Sutholtum* ac *Strauchii Diſputationes Iuſtinianeas* tam publice quam priuatim cum commilitonibus ventilationi ſubmiſit. Abſolutis vero ſtudiis Academicis, anno 1666 Stadam repetiit, vbi iuris praecepta, quae Ienae hauſerat, in cauſis agendis feliciter adhibuit ac ſequenti anno 1667 Aduocatis Dicaſteriorum Regiorum adſcriptus eſt, quos inter in hunc vsque diem nomen ſuum profitetur. Praeter hoc officium nullum aliud geſſit ad annum vsque 1677, quo Orator ciuium (Bürger-Worthalter) a Senatu Stadano fuit electus. In Senatorium ordinem receptus eſt an. 1689 d. 11 Nouembr. officiumque Praetoris ipſi fuit demandatum. Iſthaec vero munia cum gereret, bis in Sueciam ad CAROLVM XI, Regem glorioſiſſimum, an. nimirum 1695 m. Maio & ſubſequenti 1696 reipublicae Stadenſis cauſa ablegatus manumque Regis non ſemel oſculatus eſt. Confectis his itineribus non ſine emolumento ciuitatis noſtrae, an. 1697 die Martiniano a Praetura ad Conſulatum euectus eſt, quocum an. 1701 Aſſeſſoris Dicaſterii Regii munus coniunxit; functus autem per vnius ſaltem anni ſpatium hoc officio, ob rationes domeſticas ſponte eo ſe abdicauit. Inter Conſules nunc principem locum occupat, poſteaquam haud pridem Ioannes Wetegroue (de quo infra ſuo loco) diem ſupremum obiit.

Ioannes

Digitized by Google

Ioannes Clamerus KNIPPENBERG *Dicaſter. Reg. Aduocatus.*

Ioannis KNIPPENBERGII, Conſulis modo memorati, filius, vidit lucem Stadae an. 1677 m. Februario. Literarum ſtudia auſpicatus eſt in Gymnaſio patrio, ex quo an. 1695 in celeberrimam Salanam, indeque poſtea Halam legum doctrinae addiſcendae cauſa ſe contulit. Patriae cum eſſet redditus, in numerum Aduocatorum Reg. Dicaſt. an. 1700 eſt relatus.

Adamus Ioannes KREBS *Militiae Bremenſis Praetor ſupremus (Ober-Auditeur.)*

Laurentius KRETZSCHMER *Regg. Dicaſteriorum Aduocatus.*

Bartholdus Clemens de KVHLA *Sacrae Regiae Maieſtatis Suedicae per Ducatus Bremenſem ac Verdenſem Cancellarius, Collegii Iuſtitiae, Conſiſtorii vt & Archi-Dicaſterii Regii Praeſes.*

Magnum hoc decus ſuum d. 9 Iun. an. 1640 accepit equeſtri ſplendore inſignis familia de Kuhla, quam antiquisſimis in Ducatibus Bremenſi ac Verdenſi merito annumerat Mushardus in Monument. Nobil. Antiq. in primis Ord. Equeſtr. in Ducatib. Brem. & Verd. pag. 332, vbi pag. 335 de Kuhlaidum gente ita canit:

Teſtor auos quoscunque olim Selſingia vidit,
Et Kuhlae quondam quos dedit alma domus,
Kuhlaidas meruiſſe locum praeſtantibus auſis,
Inter praecipuos nobilitate Viros,
Iam cum Romanas regeret Fridericus habenas,
Cui nomen virtus ruſſaque barba dedit.

Forſan

Digitized by Google

Forſan & antiquos fuerat iam Saxonas inter,
Qui ſe de Kubla diceret eſſe virum,
Cum fera barbaries noſtro regnaret in orbe
Impleretque ſui regna propinqua metu.

Patrem nactus eſt *Detleuum de* KVHLA Praepoſitum Coenobii equeſtris Coeliportenſis; matrem vero *Adelheidam, Bartholdi a* LITH filiam. Literarum ſtudia prima aetate auſpicatus eſt, ducibus praeceptoribus domeſticis: cumque in adoleſcente effulgeret ingenium non docile minus, quam artium ac ſcientiarum cupidiſſimum, Stadenſe noſtrum Gymnaſium acceſſit, in quo literas, quibus ab humanitate nomen eſt, ſtrenue excoluit, & doctoribus induſtriam ſemper ac diſcendi ardorem probauit. Egregie igitur inſtitutum & magna quaeuis iam minantem accepit anno 1660 Alma Ludouiciana, vbi iis indefeſſum auditorem ſe praebuit, qui legum doctrinam interpretantur. Gieſſa an. 1664 abiit Ienam, non minus inclytam Muſarum ſedem, vbi cum per triennium celeberrimos iuris doctores audiuiſſet, ſtudia Academica abſoluit. Ad itinera porro ſe accinxit an. 1667, & emenſis non ſine peregrinandi prudentia variis regionibus, cum ſibi optima quaeque vitae ac rerum gerendarum ſubſidia vndique comparaſſet, locupleti animo in patriam reuertit. Facto deinceps Regi ſubmiſſo officiorum paratiſſimorum indicio, anno 1670 munia Conſiliarii in Senatu Regio Iuſtitiae & Aſſeſſoris Archi-Dicaſterii Regii per Ducatus Bremenſem & Verdenſem obire iuſſus eſt. Hos honores an. 1675 excepit munus Conſiliarii Regiminis, quod cum per viginti annos geſſiſſet, ad ſplendidam dignitatem Cancellarii & Praeſidis Curiae Prouincialis aliorumque ſummorum Iuſtitiae Collegiorum anno 1695 adſcendit. Qua fide, qua cura, qua dexteritate grauiſſimis his muneribus functus ſit, & alia magno numero ſibi commiſſa negotia tam in his terris, quam extra eaſdem expediuerit, non tam meis, quam communis patriae encomiis dudum celebratur. Meum ſaltem eſt, precari, vt Deus Virum hunc non aetate magis quam conſilio & meritis grauem, porro reipublicae ſeruet quam diutiſſime, nec vanum eſſe iubeat pium illud Mushardi ſupra laudati votum l. c. pag. 335, cui mecum boni omnes quam ardentiſſime ſubſcribunt:

At

Digitized by Google

At Tu Kublaidum manſurae gloria gentis
Vt columen patriae ſis maneasque precor.
In Te Rex habeat, quo gaudeat, & ſimul in Te
Inueniat populus, quod velit eſſe diu.
Viue diu Clemens Illuſtris, viue beate
Gloria Maiorum, poſteritatis amor!

Henricus Otto de KVHLA *Archi-Dicaſterii Regii per Ducatus Bremenſem & Verdenſem Aſſeſſor.*

Natus eſt an. 1677 d. 27 Maii patre *Caſpare Detleuo de* KVHLA, Equite Kedingenſi & Hereditario in Klinte & Hohenlucht, munere Maioris in militia Suecica functo (conf. de reliqua proſapia Mushardum l. c. pag. 337 ſqq.); matre vero adhuc ſuperſtite *Margareta Dorothea de* DECKEN, *Henrici de* DECKEN Decani quondam & Canonici Lubecenſis filia. Primis literarum rudimentis a praeceptoribus domeſticis imbutus, an. 1692 Gymnaſio noſtro Stadenſi nomen dedit, in quo ſub auſpiciis *Tob. Eckhardi* Rectoris ad annum vsque 1695 ſtudiis humanioribus vacauit. Anno inſequente Adr. Baiero Rectori Magnifico ciuem Academiae Ienenſis ſe profeſſus eſt, ibidemque philoſophiam moralem, hiſtoriam, ius priuatum, ciuile, feudale & canonicum docentes audiuit. Conſumto ibi triennio, an. 1699 Argentoratum abiit, aulasque Electorum & Principum, quae ſe ipſi obuiam dederunt, ex itinere ſalutauit. Annum ibi cum exegiſſet & *Io. Schiltero* publicum ac *Io. Henr. Feltzio* priuatum ius interpretantibus diligens auditor adfuiſſet, Lutetiam Pariſiorum d. 6. Iul. an. 1700 demigrauit, ibidemque corporis exercitiis ac linguae Gallicae operam impendit, aulasque & diuerſoria Regis ac Principum regio ſanguine natorum data occaſione inuiſit. Hinc an. 1701 d. 8 Apr. per Caletum ac Dubrim Londinum contendit, & inde Oxoniam perrexit, ac viſis vtrobique notatu dignioribus in Belgium venit, & per Roterodamum, Delphos, Hagam Comitum, Lugdunum Batauorum, Harlemum, Amſtelodamum, Traiectum ad Rhenum m. Octobr. eiusd. anni ad ſuos rediit. Anno 1702 ab Ordine

Digitized by Google

dine Equeſtri Bremenſi electus eſt Aſſeſſor Archi-Dicaſterii Regii &, praeſtitis ſolemnibus, d. 3 Iul. anni eiusd. in illud introductus.

Conradus KVHLBRVN I.V.D., *Summi Tribunalis Wismarienſis & Regg. Dicaſteriorum in Ducatibus Brem. ac Verd. Aduocatus ordinarius.*

Natus eſt Bremae an. 1659 d. 2 Nouembris patre *Ioanne Iacobo* KVHLBRVN ciuici ordinis viro & matre *Anna* SCHMVTTEN. E ſchola patria an. 1678 tranſiit ad Gymnaſium Illuſtre, in quo *Henr. Wagenfeldius* philoſophiae, *Diet. Sagittarius* ſtili, *Rhedenius* vero & *Schwelingius* iuris praeceptis eum imbuerunt. Inde an. 1683 Almam Philuream adiit, tabulis, in quibus nominatim ciuium Academicorum ratio conficitur, d. 8 Maii inſcriptus. Philoſophiam priuata inſtitutione ibi edoctus eſt a M. *Io. Dau. Schwertnero*, quo Praeſide d. 9. Febr. an. 1684 habuit *Diſputationem Moralem, Num vitam Laboribus immodicis, ceteroquin etiam honeſtiſſimis, abbreuiare liceat?* Praeterea *Metzkium*, *Bornium*, *Mylium*, *Ittigium* & *Menckenium* ius priuatim docentes auſcultauit. Tres annos cum ibi exegiſſet, iuſſu parentum patriam repetiit, & non multo poſt Stadam acceſſit. Praeſtitis hic ſolemnibus conſuetis, d. 10 Ian. 1687 Aduocatis Regiorum Iudiciorum accenſitus eſt, annoque 1701 d. 18 Iun. in numerum Aduocatorum ſummi Tribunalis Wismar. relatus. Anno eodem d. 3 Septembr. ſummos in vtroque iure honores Franequerae eſt conſequutus. Spartam Aduocati Ordinarii Regg. Dicaſteriorum in Ducatibus Brem. & Verd. an. 1702 d. 22 Febr. obtinuit.

Extat eius *Diſputatio Inauguralis Iuridica de Iure Retractus*. Franequerae. 1701. 4. pl. 4½.

Petrus KVHLE *Reipublicae Stadenſis Praetor.*

Stadae natus eſt an. 1670 d. 4 Aug. patre *Nicolao* KVHLE Conſule ſeniore. Scholae patriae claſſes omnes quum permeaſſet, atque

Misleri

Misleri Rectoris & *Büttneri* Conrectoris tam publicis quam priuatis laboribus probe expolitus eſſet, ſub finem anni 1689 Ienam perrexit, vbi ex *Weigelii* & *Mülpfortii* doctrina profecit. Iena Wittebergam venit, ibidemque *Strykii* & *Bergeri*, excellentiſſimorum iuris doctorum, ſcholas inuiſit, donec in vtraque Academia anni quatuor cum dimidio conſumti eſſent. Inde quum an. 1694 circa Decembrem ad peregrinandum animum adieciſſet, iamque ad externas regiones excurriſſet, peropportunum ei accidit, vt Illuſtriſſ. Iuueni Comiti de Wachtmeiſter, ſummi in Suecia claſſium Praefecti filio itidem peregrinaturo dux itineris praeficeretur, quem per Belgium, Galliam, Italiam, Heluetiam, Germaniam & Daniam in Succiam deduxit. Tribus ante abſolutum hoc iter annis, anno ſcilicet 1704 reipublicae patriae Praetor abſens fuit electus.

L.

Fridadolphus Ludouicus LANGERHANS *ad D. Pancratii Paſtor.*

Patriam habuit Kyrnam, quod oppidum eſt Germaniae ſuperioris in Tractu Hunnorum, quem vulgo Hundsrück vocant. Lucem ibi aſpexit an. 1662 d. 30 Nouembris, patre *Nicolao* LANGERHANS Stadenſi, Theol. Lic., qui primum Stadae Subconrector, deinde in tribus ad Rhenum Comitatibus Superintendens, tum Stadae Paſtor & Scholae Rector, ac denique Hamburgi ad D. Nicolai Paſtor fuit. Tres annos natus cum parentibus Kyrna anno 1666 d. 7 Octobr. Trorbacum, hinc an. 1671 d. 19 Febr. Stadam, inde an. 1677 d. 24 April. Hamburgum commigrauit. Stadae cum eſſet, in ſchola vrbis publica diligenter eruditus eſt, ac deinceps Hamburgi ductu Cl. *Foppii* (qui nunc Herefordiae Rectoris munere fungitur) in linguis atque artibus humanioribus non mediocres progreſſus fecit; donec ibidem an. 1680 m. Martio Gymnaſii ciuibus adſcriberetur, in qua bonarum mentium officina viris doctiſſimis *Siuero*, *Vagetio*, *Placcio*, *Capello* auditorem ſe praebuit: in primis vero adhaeſit B. *Euerh. Anckelmanno*, cuius cineres ob pietatis exemplum & fideliſſimam in linguis orientalibus inſtitutionem ſancta memoria veneratur. Gymnaſium Hamburgenſe an. 1682 m.

 Septembr.

Digitized by Google

Septembr. permutauit cum Academia Ienenſi, in qua illo tempore florebant *Bechmannus*, *Baierus*, *Velthemius* & *Io. Andr. Schmidius*, Helmeſtadienſium hodie decus, ex quorum ſolida doctrina tam in ſapientia diuina, quam humana profecit. Iena abiit Erfurtum, indeque Ienam reuerſus, Wittebergam conceſſit. Audiuit ibi Theologos celebratiſſimos *Abr. Calouium*, *Io. Deutſchmannum* & *Io. Frid. Mayerum*, magnum illud nunc Almae Gryphicae ornamentum. Peracto itaque ſtudiorum curſu, Academiam Francofurtanam & aulam Electoralem Brandenburgicam, fruitus patrocinio perilluſtris Suedici Legati de Grafenthal, inuiſit. Quo in itinere morbi Hungarici vis eum adorta eſt & in diſcrimen vitae adduxit. Valetudinis igitur recuperandae cauſa an. 1688 Egram ſe contulit, & interiecto aliquo tempore Lipſiam petiit, vbi interfuit ſcholis, quas concionandi artis addiſcendae gratia *Riuinus* aperuit. Sub finem anni 1688 in Vckermarchiam vocatus eſt, vt munus ſcholaſticum cum eccleſiaſtico coniunctum ſuſtineret. Verum onus hoc graue nimis in ſe ſuſcipere recuſauit, perque Stetinum, Gryphisvvaldiam & Roſtochium Hamburgum contendit. Accerſitus inde an. 1689 in Angliam, & copiis equeſtribus ſacrorum miniſter praepoſitus, Londini a *Io. Esdra Edzardo*, Eccleſiae Euangelicae Paſtore, inauguratus eſt, ſtatimque in Hiberniam ſe contulit. Iter hoc non quidem ſine multis difficultatibus, feliciter tamen ſub tutela Lib. Baronis de Oyen, Chiliarchae primarii, confecit. Finito bello in Hibernia, cum interfuiſſet obſidionibus aliquot, vltimaeque cladi magnae Iacobitis ad Agrimum in Connacia a Guilielmianis illatae, munus hoc depoſuit & in Angliam traiecit, ibidemque ſpe ſtipendii, quod nondum ſolutum erat, aliquandiu detentus eſt. Ne vero tempus inutiliter & ſine ſtudiorum aliquo incremento ibi conſumeret, Arabicae linguae & Cambro-Britannicae notitiam ſibi acquiſiuit. Muſarum quoque ſedes, Oxonium & Cantabrigiam adire, ſibi proficuum exiſtimauit. Neque quicquam potius habuit, quam colloqui cum viris doctiſſimis *Conelio*, *Bernardo*, *Walliſio*, *Newtono* (quem in perluſtrandis quibusuis notabilibus, praeſertim in Collegiis & Bibliothecis obuiis, ducem habuit), *Chamberlainio* & *Millio* tunc temporis editioni ſuae Noui Teſtamenti omnium fere praeſtantiſſimae inſudante. Ex Anglia diſceſſit an. 1696 & patroni cuiusdam principis

cipiis ſuaſu reuocatus rediit in Germaniam ac Io. Henr. Finckio, Praepoſito Neofeldenſi aegrotanti operam praeſtitit. Inde Wildeshuſam an. 1699 m. April. venit, vt Regiminis Regii iuſſu Paſtoratum ibidem adminiſtraret, nec multo poſt coetus ſacer Dauerdenſis regendus ipſi fuit commiſſus. Huic non inuitus perpetuo inſeruiiſſet, niſi ab eo Stadam abire a ſummo Numine iuſſus eſſet. Cuius nutui noluit reſiſtere (quamuis inde facultates plane non augeri poſſe probe nouerat) ſed anno 1704 Dom. Miſericord. Domini Eccleſiae Pancratianae operam ſuam addixit.

Conſcripſit Diſputationem *de* זמן משיח צדקינו *ſiue Tempore Chriſti Iuſtitiae noſtrae ex Dan. IX. 24. & ſqq. verſibus eruto*, quam ſub praeſidio *Io. Frid. Mayeri* publice ventilandam propoſuit. Witteb. 1685. 4. pl. 6. Cum itaque noſter Diſputationis huius auctor ſit, non eſt imputandus Magnif. Praeſidi, Theologo accuratisſimo, naeuus, qui pag. 16 irrepſit, quemque noſter ex iuuenili incogitantia a ſe commiſſum eſſe, ingenue fatetur.

Lexicon Anglico-Germanicum communicaſſet iam cum orbe erudito, niſi perſpecta paucitate eorum, qui Anglicam linguam amant, ab hoc inſtituto deſtitiſſet.

Carolus Albertus LAPPENBERG *cohortis Wellingianae Paſtor.*

Natus eſt Bremae an. 1679 d. 12 Aprilis. Literarum humaniorum ſtudiis cum in Lyceo Verdenſi incubuiſſet doctrinae diuinioris addiſcendae cauſa Roſtochium accesſit. Anno 1701 d. 1 Ian. Illuſtrisſimus Comes Mauritius Vellingk, Ducatuum Bremenſis ac Verdenſis nunc Gubernator Generalis, legioni ſuae a ſacris eſſe eum iusſit.

Chriſtianus Otto LINDE *claſſis Sextae Schol. Stad. Collega & Cantor.*

Stötterlinga-Halberſtadienſis, in lucem editus an. 1669 patre *Chriſtiano* LINDE Paſtore Stötterlingenſi & Micro-Rodenſi. Primis latinae linguae rudimentis in ſchola Oſternicenſi imbutum, mater, defuncto patre, Schoeningam miſit, vbi quatuor annorum ſpatio

menſae publicae beneficio fruitus eſt. Magdeburgum deinde ſe contulit & ſcholam cathedralem frequentauit. Academicis interfuit Helmeſtadii & Gryphisvvaldiae. Hinc vocatus eſt an. 1693 Malchinum in Ducatu Mecklenburgico ad Cantoris officium, quod per quatuordecim annos geſſit, donec an. 1707 Stadam ab Ampliſſimo Senatu accerſeretur.

Guſtauus Daniel LIPSTORPIUS *Med. Doct. & Phyſicus Stadenſis.*

Lucem vidit Stadae an. 1664 d. 7 Decembris. Patre vſus eſt *Chriſtophoro* LIPSTORPIO itidem Med. Doct. & huius ciuitatis Phyſico, qui natus eſt an. 1634 denatus 1690, atque edidit (1) *Diſputationem Dioptrico-Anatomicam de Oculo*, Praeſ. Io. Theod. Schenckio. Ien. 1654. 4. pl. 5½. (2) Wolmeinendes nohtwendiges Bedencken von der Peſtilentz / mit eingefügten Bericht / wie man ſich durch GOttes Gnade für derſelben wol vorſehen und verwahren / auch wann einer damit angeſtecket würde / ſich davon curiren könne. Auff Chriſt-vorſorgliches Begehren eines Ehrenveſten Rahts der uhralten Löbl. Stadt Staden in Eyl verfaſſet und auffgeſetzet. Stade. 1664. 4. (3) Wolmeinendes Bedencken von der graſſirenden Rohten Ruhr / mit beygefügten kurtzen Bericht von dem hitzigen / gifftigen Fieber / und wie man ſich durch GOttes Gnade für beyde Kranckheiten bewahren / oder da iemand damit behafftet würde / davon curiren könne. ibid. 1676. 4. (4) *Obſeruationem de Vitula bicipite an. 1673 Stadae nata*, quae inſerta eſt Ephemerid. Natur. Curioſ. Decur. I. An. VI & VII. pag. 103. Auum habuit M. *Danielem* LIPSTORPIUM Reu. Miniſterii Lubecenſis Seniorem & in Aede Cathedrali Paſtorem, qui ſcripſit *Diſputationem de Coelo*. Reſp. Vincent. Arnoldi. Roſtoch. 1651. 4. & cuius vitam ab Abrah. Hinckelmanno conſignatam exhibet Goetzius in Elogg. Germanor. quorundam Theologg. pag. 545 ſqq. Proauus eius fuit M. *Hermannus* LIPSTORPIUS, qui natus eſt Lubecae an. 1565 & primum in Gymnaſio Berolinenſi Rectoris munus geſſit, quod an. 1590 d. 8 Iul. auſpicaturus, *Orationem de Gymnaſiarchae Officio* habuit, quae eodem anno typis excuſa Berol. 4. Lubecam deinde ad ornandum ſacerdotium Petrinum accitus eſt, vbi anno 1610. vitam cum morte permutauit. Patruum habuit *Danielem* LIPSTORPIUM D. ICtum ac Polyhiſtorem eximium & ex variis ingenii

Digitized by Google

ingenii monumentis, vtpote *Speciminibus Philoſophiae Carteſianae*, *Copernico Rediuiuo*, tractatu *de Monarchia Papali*, *Commentatione de Appellationibus in cauſis criminalibus*, *Commentatione de Concurſu Aulici Imperatoris Iudicii cum Camera Spirenſi* & aliis celeberrimum. Conf. Abrah. Hinckelmanni Ἐπιτάφιος in funere eius. Lubec. 1684. fol. Morhofius in Polyh. paſſim. Patrueles ipſi fuere *Henricus* LIPSTORPIVS & M. *Daniel* LIPSTORPIVS, Danielis Polyhiſtoris filii. Ille Medicinae Doctor apud Lubecenſes, natus an. 1666. d. 24 Maii, denatus an. 1701. d. 9 Febr. elaborauit *Diſputationem Inauguralem de Venae ſectionis Vſu & Abuſu*. Vltraiect. 1693. 4. Vid. Nou. Lit. Mar. Balth. & Septentr. 1701. pag. 94. vbi vita eius breuiter deſcripta legitur. Hic Conrector primum, deinde Rector Athenaei Regii Bremenſis in lucem emiſit *Diſſp. Talmudico-Rabbinicam de Primitiis Ebraeorum*. Reſp. Paul. Pilgrim. Brem. 1693. 4. pl. 5: *Theologico-Philologicam primam de Angelo Increato, exhibentem ſelectiora quaedam V. T. loca, in quibus nomina illa varia & magnifica ipſam Angeli huius Increati diuinitatem demonſtrantia proponuntur, eademque veterum doctorum Ebraeorum ſuffragiis illuſtrantur*. Reſp. Adam. Andr. Knollio. Brem. 1693. 4. pl. 4: *Theologico-Philologicam ſecundam de Angelo Increato, praecipuas eiusdem apparitiones in Vet. Teſt. factas explicantem, inprimis Socinianis ex Scripturis, Iudaeis ex Ebraeis oppoſitam*. Reſp. Ern. Reinh. Beckmann. ibid. pl. 4½. 4. Simulac aetas doctrinae capax fuit, traditus eſt Praeceptoribus domeſticis; cum vero decimum & tertium annum expleuiſſet, ad ſcholam publicam huius loci acceſſit, inque ea docentes per quinquennium non ſine fructu audiuit. Probe itaque ab his doctrina humaniori imbutus, an. 1682 Academicum iter ingreſſus eſt, Belgium aditurus. Verum cum proficiſcens in morbum incideret atque vereretur, ne aër peregrinus ſanitati noceret, Bremae per aliquot menſes ſubſtitit, inſtitutione ibi *Io. Frid. a Cappeln* vſus. Hinc per vrbes Hamburgum, Lubecam, Wismariam, Roſtochium, Stralſundiam & Stetinum Francofurtum ad Viadrum perrexit, vbi *Vebrium*, *Albinum* & *Poliſium* doctores veneratus eſt, praecipue autem Albino adhaeſit, quo Praeſide an. 1683 *Diſſertationem Algebraicam de Radicum Extractionibus* defendit. Anno 1685 d. 7 Aug. ex Academia Viadrina Freienvvaldam abiit, vt examinaret ſacrum illius loci fontem, qui tum temporis per famam innotuerat. Hinc ad cauernam Baumanni contemplandam per Berolinum, Magdeburgum, Halberſtadium

&

Digitized by Google

& Blanckenburgum profectus eſt, vlteriusque tetendit ad Syluam Hercyniam, vt eius metallifodinas perluſtraret ſibique cognitas redderet. Tum per Guelpherbytum, Brunſvvigam & Luneburgum contulit ſe Hamburgum, vbi tunc pater degebat, & exactis ibi tribus menſibus (quibus id operam dedit, vt in notitiam *Nicol. Stenonis*, Anatomici clarisſimi, veniret) per Bremam & Oldenburgum Groningam, Franequeram, Amſtelodamum & Lugdunum Batauorum curſum direxit. Chemiam Lugduni edoctus eſt a *Carolo Maets* & *Iacobo le Mort*: Anatomiam a *Car. Drelincurtio*, in qua vt eo meliores progreſſus faceret, Amſtelodamum aliquoties adiit, *Ruyſchii* & *Silueſtri*, virorum excellentisſimorum, opera vſus: nec non Hagam Comitum, vbi itidem *Nuckium* de ea conſuluit. In Botanicis doctorem celebrat *Hermannum*, in praxi *Schachtium*. Scientiam vero naturalem ex ore *Burch. Volderi* auide hauſit. Multa itaque ſcientiarum, quae ad Medicinam faciunt, copia ditatus, Medicis examinandum ſe exhibuit, defenſaque ſine Praeſide Inaugurali diſputatione ſummis in Medicina honoribus & Doctoris inſignibus an. 1687 fuit ornatus. Interiecto breui tempore ad itinera porro ſe accinxit, viſis antea nonnullis Belgii vrbibus, Delphis praeſertim, vbi *Antonii a Leeuwenhoek* microſcopia & eorum ope curioſa multa penitius luſtrauit, ac Vltraiecto, Silua Ducis, Breda, Antuerpia, Bruxellis, Gandauo, Bruga, Oſtenda peragratis, Nouum Portum peruenit. Inde traiecto mari in Angliam appulit & Londini pariter atque Oxoniae aliquantum ſubſtitit, cumque ſummis in ſcientia Medica viris conuerſatus eſt. Ex Anglia ſe mouit menſe Sept. eiusd. an. 1687, & per Dunquercam atque Caletum, adeoque per Piccardiam Lutetiam Pariſiorum acceſſit. Qua in vrbe cum degeret, *Nicolao Lemery* Chemiam & *Verneio* Anatomiam docentibus ſedulus auditor adfuit, praetereaque in Chirurgia excolenda multum deſudauit, nec raro noſocomia inuiſit. Virorum quoque doctisſimorum amicitiam quaeſiuit, eorumque conſortio ſaepius vſus eſt. Praeprimis vero cum *Adr. Bailleto* ſermonem communicauit, deque Anonymis & Pſeudonymis *Vinc. Placcii* nomine cum ipſo egit, qua de re iuuabit ipſum Placcium audire, qui pag. 28 ſq. Inuitat. Amic. ſuper Symbol. ad Anonym. & Pſeudon. ita: *Cumque peropportune accidiſſet interim, vt memoratus iam ante chariſſimus ex merito & cognationis iure Guſtau. Daniel Lipſtorpius, Med. D. in Gallias ex Anglia transfretaret, in mandatis*

eidem

eidem haud neglexi dare, vt ipſus Bailletum adiret, ac de tota re quantum indagare poſſet, quantocyus certiſſima quaeque renunciaret. Is igitur 2 Maii anni ſuperioris ad me ſcriptis adiunxit ab honoratiſſima Bailleti manu ſchedam, qua ſignificabatur, iam abhinc decennio fere Latinum opus ad conficiendum Tomum in folio conſcriptum ſe habere hoc titulo: Elenchus *Apocalypticus Scriptorum Pſeudonymorum* &c. Conf. l. c. pag. 54. 62. Adde Bailletum in Praef. libri *des Auteurs deguiſez* p. a 3 ſq. & ex eo Cl. Struuium in Supplem. ad Notit. rei literar. pag. 136 ſq. Demum perluſtratis Regiis palatiis, an. 1688. d. 4. Maii Italicum iter iniit, perque Lugdunum, Auguſtam Taurinorum, Geneuam & Mediolanum proficiſcens Patauium contendit. Hic cum verſaretur, ductu *Borrbomaei* Comitis, *Caſali* & *Spinelli* noſocomia ſedulo viſitauit, inque horto Medico Botanicae exercendae multum operae impendit. Relicta hac vrbe menſe Septemb. iter Romam direxit per Florentiam, vbi *Magliabecchii*, Bibliothecarii Florentini ac magni nominis viri, ad quem literas a Placcio ſcriptas attulerat (vid. Placc. l. c. pag. 11 ſq.) & *Redi* humanitatem expertus eſt. Romae cum oculis vſurpaſſet quaevis notatu digna, notitiamque plurimorum & dignitate & eruditione conſpicuorum virorum ſibi comparaſſet, Neapolin adiit, vbi *Ioſephus Valetta*, *Leonardus di Capua*, *Agnellus di Napoli* & *Thomas Donzelli* mira comitate eum ſunt complexi. Hinc Veſuuium aliaque ſingularia contemplatus Romam repetiit & elapſis hebdomadibus nonnullis, Lauretum permeans, Bononiam venit, inque *Malpighii* notitiam ibidem penetrauit. Patauium quoque ſecunda vice ſe contulit, ſectionibus Anatomicis a *Molinetto* factis interfuit & noſocomium denuo frequentauit. Anno 1689 verno tempore Venetias profectus eſt & exinde per Monachium, Auguſtam Vindelicorum (vbi *Schroekium* vtrumque compellauit) & Ratisbonam demigrauit Viennam, factoque ibi ſermonis commercio cum *Sorbaito*, *Stockhammero* & *Herzodo*, Archiatris Caeſareis, ceteriſque notabilibus luſtratis, per Pragam Dresdam ſe recepit. Inde abiit Lipſiam, vbi prae ceteris *Bohnium* & *Riuinum* in maximo pretio habere e re ſua eſſe duxit. Lipſia Ienam perrexit, vbi cum *Wedelio* & *Sleuogtio* de rebus Medicis, cumque *Weigelio* de Mathematicis non ſine delectatione ſermones habuit. Rudolphopolim inde excurrit ad *Cellarium*, Archiatrum Comitis Schvvartzburgici, quem Pariſiis olim nouerat &, acceptis ab eo commendatitiis, ad metallifodinas nouas Kônitzenſes abiit, vt eas accurate

K con-

Digitized by Google

contemplaretur. Ienam poſtea reuerſus eſt, adiitque Naumburgum, Halam, Magdeburgum & Helmeſtadium, vbi *Schraderi* hoſpitio aliquandiu fruitus eſt & *Meibomium* atque *Schellhammerum* cognitos ſibi reddidit. Inde cum Hamburgum per Brunſvvigam, Cellam, Bremam & Stadam rediiſſet, Phyſici Stadenſis munia paulo poſt ipſi ſunt demandata, quae menſe Sept. anni 1689 obiit, & huc vsque geſſit diligentisſime.

Scripta.

Diſſertatio Anatomico-Medica de Poris humani corporis, Praeſ. Bernh. Albino. Francof. ad Oder. 1685. 4. pl. 10.

Diſputatio Inauguralis de Animalculis in humano corpore genitis. Lugd. Batau. 1687. 4. pl. 4.

Samuel Chriſtophori von LISSENHAIM *Sacrae Regiae Maieſtatis Suedicae per Ducatus Brem. & Verd. Regiminis ac Conſiſtorii Conſiliarius.*

Patre *Antonio* CHRISTOPHORI, ciue & eorum, qui panni mercaturam faciunt, ſeniore, ac matre *Dorothea* MILBITZ natus eſt an. 1639 d. 29 Maii Leſnae in Polonia maiori, quorſum parentes dira Lutheranorum vexatione compulſi ex vicina Sileſia confugerant ibique ſedem fixerant. Pietatis & bonarum artium rudimenta edoctus eſt a praeceptoribus domeſticis, donec an. 1653 celeberrimum ibidem tunc temporis Gymnaſium adiit, vbi praeter alios doctor ei obtigit *Io. Amos Comenius*, vir rerum ſcholaſticarum valde peritus. Sed non licuit ipſi vltra tres annos hac inſtitutione frui, ſiquidem anno 1656 occaſione belli, quod tum gerebatur, Polonici, Leſna a Polonis igne fuit deleta, quod incendium parentes ipſius miſerrimos reddidit atque omnibus plane facultatibus priuavit. Eam vero ob cauſam de felici ſtudiorum ſucceſſu non deſperauit Noſter, ſed Stetinum pergendi conſilium cepit, in cuius Paedagogio valde inclyto *Ioanni* inprimis *Micraelio*, *Henr. Schaevio*, *Chriſtoph. Praetorio* & *Danieli Schultzen*, viris egregiis, formandum ſe permiſit. Nominatim Schultzii *Collegio Panſophico* integro conſtans

auditor

auditor interfuit, variiſque exercitiis publicis maturos ingenii conatus oſtendit: ſiquidem non ſolum *Officia Ciceronis* in priuata palaeſtra, Micraelio moderatore, vna cum commilitonibus ventilauit, ſed etiam *Diſputationem de Conſiliariis* ſuo Marte elaboratam ſub praeſidio Schultzii publicae diſquiſitioni exhibuit. Anno 1660 Gymnaſium cum Academia Helmeſtadienſi permutauit, ducibusque *Chriſtoph. Schradero*, *Sam. Rachelio*, *Herm. Conringio*, *Io. Eichelio* & *Henr. Habnio* in campis Rhetorices, Hiſtoriarum, diſciplinae item Moralis, Politicae & Iuris ſatis viae emenſus eſt. In primis attente audiuit magnum Conringium de omnibus Europae Rebuspublicis commentantem, inque huius Collegii non limine ſolum, ſed etiam exitu ſtetit, ac quae vir ſummus diſſeruit, quantum calamus aſſequi potuit, diligenter excipere non intermiſit. Eandem induſtriam impendit ſcholis doctiſſimi *Eichelii* in *Libros Hugonis Grotii de Iure Belli ac Pacis* collatis, neque inter haec Theologicas inſtitutiones *Gerb. Titii* & *Ioach. Hildebrandi*, doctorum praeſtantiſſimorum, neglexit. Luſtratis poſtea Academiis Iena, Lipſia & Wittenberga, an. 1663, ſatisfacturus deſiderio nonnullorum inſignium virorum, Stetinum repetiit, vbi *Rhenſchildiis* fratribus, *Axelio* & *Carolo Guſtauo* (quorum poſterior nunc Senator Sueciae & Campi Mareſchallus longe inclytiſſimus cognoſcitur) a tutoribus *von der Lancken* Cancellario & *von Owſtien* Conſiliario Regiminis, vitae ſtudiorumque gubernator fuit praefectus. Iamque animus erat, iuuenibus generoſiſſimis in Academiis ac peregrinationibus dux adeſſe, niſi legatio an. 1665 iuſſu & auctoritate S. R. M. Suecicae ad Aulam Electoralem Brandenburgicam miſſa, cui Secretarius intereſſe iuſſus eſt, eum ab hac profectione retraxiſſet. Anno 1667 Berolino in Sueciam negotiorum grauiſſimorum cauſa ablegatus eſt, quae cum feliciter expediuiſſet, iamque reditum ad aulam Brandenburgicam paraſſet, cauſa nec opinanti data eſt, Holmiae permanendi. Etenim *Pontus Fridericus de la Gardie*, Comes, Regni Conſiliarius & Regii Senatus Bellici Praeſes Secretarii munus ei obtulit, & interiecto breui tempore in Liuoniam & Eſthoniam miſit, vbi duorum annorum ſpatium exegit. Holmiam inde an. 1670 reuerſus, *Magno Gabrieli de la Gardie* Comiti, Regni tum temporis Cancellario, innotuit, qui eum a fratre petiit atque Cancellariae ſuae Germanicae praefecit. Functus eſt hoc officio ad annum vsque 1680 ita, vt domino ſuo ex aſſe ſatisfa-

tiſfaceret, cuius rei fidem faciunt literae, quas ipſe Comes manu ſua ad eum ſcripſit, & teſtimonia, quibus dexteritatem eius ac induſtriam ornauit. Quo ipſo tempore officium quoque Secretarii cum ſtipendio a Rege ei fuit collatum. Anno vero 1680 cum in his prouinciis Germanicis forma Status publici de integro conſtitueretur, & Noſter animi in Germaniam cogitantis indicia faceret, a Regia Maieſtate munus Conſiliarii Iuſtitiae apud noſtrates clementiſſime ipſi fuit oblatum. Verum cum iam per multos annos Cancellariae officiis aſſueuiſſet, maluit in iisdem permanere & ſpartam Secretarii Status, cui eodem tempore Regimen Regium, quod Stadae eſt, virum aliquem idoneum depoſcebat, alteri praeferre. Haec igitur munia obiturus ſub initium anni 1680 huc acceſſit, ac ſimul Secretarius totius Circuli Saxonici inferioris conſtitutus eſt, eoque miniſterio fungens mox comitiis Circuli anno 1682 Brunſvvigae habitis interfuit. Eodem anno cum ex Suecia in Pomeraniam paulo ante ii aduentaſſent, quibus commiſſum erat, vt de ſtatu prouinciarum Germanicarum cognoſcerent, iidemque a Regimine Regio Stadenſi quempiam popoſciſſent, qui de Status huius conditione ac neceſſitatibus ad ſe referret, delectus ad hanc rem Noſter in Pomeraniam abiit, vbi per aliquot hebdomades cum Commiſſariis Suedicis Stetini ipſi fuit commorandum. Cum ad exitum vergeret annus 1683 ab iis, qui prouinciae huic cum imperio praeſunt, negotiorum grauiſſimorum cauſa in Sueciam ad Regem ablegatus, ad exeuntem vsque annum 1685 ibi ſubſiſtere neceſſe habuit, ac Regis interim clementia largiter fruitus eſt. Non enim ſolum Regiminis Regii, quod Stadae eſt, Conſiliarius Aſſiſtentiae & Conſiſtorii Conſiliarius deſignatus, ſed etiam in ordinem Nobilium euectus inque domum equeſtrem Holmienſem fuit receptus. A. 1693 litibus inter Epiſcopum Lubecenſem Sereniſſ. Holſatiae Ducem eiusque Capitulum atque inter Magiſtratum Lubecenſem coortis, Rex noſter, tanquam Circuli Director, rogatus vt arbitrum ſe interponeret, Liſſenhaimio negotium commiſit, qui integro fere biennio partim in aula Epiſcopi, partim Lubecae exacto, rem feliciter compoſuit, & adiuuante Deo disſidiis vlterioribus ianuam praecluſit. Verno tempore anni 1698 ſpartam Conſiliarii Regiminis nactus eſt, quam Vir Illuſtris ac Generoſiſſ. Bartholdus

Cle-

Digitized by Google

Clemens de Kuhla, defuncto Ehrenburgio in Cancellariatu ſurrogatus, vacuam fecerat. Ex quo tempore legationes plurimas in pleraſque Germaniae inferioris aulas obiuit, nec tantum Hannouerae, Cellis, Gottorpii, Eutini, ſed Suerini etiam Guſtrouiae ac Strelitii commiſſas ſibi res grauiſſimi momenti confecit. In primis negotii plenum fuit ſeptennium illud continuum, quod Hamburgi conſumſit, cum ibi Principum quorundam interuentu de rebus Holſaticis ac Mecklenburgicis, itemque de neceſſitatibus ciuitatis Hamburgenſis, iubente Imperatore, conſilia conferrentur. Quemadmodum & paci Trauendahlenſi nomine Regis noſtri, titulo Plenipotentiarii & Legati Extraordinarii continenter interfuit, rebusque illis omnibus arduis ſane & periculi plenis, diuino auxilio componendis operam ſuam nauauit. Vt taceam commiſſa ipſi deinceps alia negotia in Circulo hoc Saxonico, quibus nomine Directorii fuit vacandum. Tandem haud diu eſt, quum de morte cogitans rerum etiam domeſticarum & facultatum curam aliquam ſuſciperet. Quippe diuinae prouidentiae ac beneficiorum per omnem vitam luculenter acceptorum pie memor, praeter alia teſtamento legata iuuentuti etiam ſtudioſae proſpexit, conſtitutis eiusmodi ſtipendiis, quibus non pauci eorum, qui bonis literis operam impendunt, laute ſatis iuuari poterunt atque excitari.

Dietericus LÜDERS *Reipublicae Stadenſis Praetor.*

Auſpicatus eſt vitam Stadae an. 1680 d. 4 Octobris. Patrem habuit M. *Dietericum* LÜDERS ad D. Nicolai Eccleſiaſten, cuius extant elegantes *Diſputationes V. de Hiſtoria Imperii Abyſſini, quod ſub Presbytero Iohanne, Germanice* Prieſter Johann *eſſe dicitur*, Witteb. 1671. 4. Mater ipſi fuit *Adelheit* PAHLEN, *Ioannis* PAHLEN Senatoris ac Praetoris Stadenſis filia. Academiae in Gymnaſio patrio praeparatus, anno 1699 m. Aprili in illuſtrem Salanam ſe contulit, ibidemque per tres annos & dimidium ad viros recondita iuris arte clariſſimos ſe adiunxit. Reuerſus in patriam, an. 1704 in foro vrbano Aduocati partes in ſe ſuſcepit & interiectis duobus annis in Dicaſteriis quoque Regiis ad praxin forenſem fuit admiſſus. Anno 1708 d. 25 Octobr. electus

eſt Procurator ciuium & die 12 Nouembris anni eiusdem in Senatum patrium cooptatus, Praetorisque officium ei demandatum.

Ioannes LVDERS *Reu. Miniſterii Candidatus.*

Dieterici Frater, natus eſt Stadae an. 1678. d. 1 Martii. Officinae noſtrae bonarum mentium publicae claſſes omnes praeter ſeptimam peragrauit & in Academiam abiturus *Tobiae Eckhardi* Rectoris *Diſſertationem ſecundam Speciminis Technicae Sacrae de ortu Verborum Artis Sacrorum* publice defendit. Almam Leucoream ſalutauit anno 1698 tempore autumnali, & inde verno tempore anni 1701 Roſtochium venit, vbi annum vnum cum dimidio exegit, & *Zach. Grapio* Praeſide *Quaeſtiones Selectiores ex Theologia Naturali de Deo eiusque Attributis ex Natura cognoſcibilibus contra Carteſianos aliosque* d. 30 Sept. an. 1702 eruditorum cenſurae ſubmiſit. Vid. Nou. Lit. Mar. Balth. 1702. p. 316. Conſiſtorio Stadenſi publice ſe tentandum exhibuit an. 1706. d. 2 Nouembris a quo tempore in numerum Candidatorum Miniſterii eſt receptus.

Stephanus a LVNEN *Claſſis Septimae Schol. Stad. Collega.*

Natus eſt Stadae an. 1653 d. 30 Martii, patre *Stephano* a LVNEN claſſis quintae Scholae noſtrae Collega. Gymnaſio patrio, habita Praeſide *Nicol. Langerhanſio*, Rectore, *Diſputatione Phyſica de Immaterialium Animarum in generationibus origine* d. 27 Martii 1674 valedixit, eodemque anno Wittebergam adiit, vbi ſub *Io. Deutſchmanni* praeſidio *de Peccato in Spiritum S.* diſputauit. Redux in patriam an. 1676, d. 26 Octobr. Claſſi ſeptimae Scholae Stadanae fuit praefectus.

M.

Petrus Balthaſar MARSMANN *in Curia Stadana Secretarius.*

Lucem aſpexit Gieſſae Haſſorum anno 1658 d. 17 Junii. Patrem habuit *Georgium* MARSMANN Freiburgo-Kedingenſem, I. V. D. &

Digitized by Google

& quondam liberae Vangionum reipublicae deinceps inclytae Budiſſinorum ciuitatis per 40 fere annos Syndicum. Mater ipſi fuit *Magdalena Sibylla* HABERKORNIA, per quam Theologos apud Gieſſenſes celeberrimos *Petrum* HABERKORNIVM, *Iuſtum* FEVVERBORNIVM & *Balth.* MENTZERVM auita cognatione contingit. Literis excultus eſt Wormatiae a *Valentino Sittigio*: Budiſſae a M. *Ioanne Theilio*: Gorlicii a M. *Chriſtiano Funccio*, quem etiam hoſpitem habuit. Academiam Wittebergenſem adiit anno 1678 menſe Maio, vbi per triennium *Zieglerus*, *Lyſerus*, *Nergerus*, *Martinius*, *Strausſius*, *Schleenſteinius*, nec non *Röhrenſeus* & *Schurzfleiſchius*, doctores ipſi obtigerunt. Varia deinde loca luſtrauit, nactusque itineris comites, Tſchirnhauſios fratres, Sopronium adiit, vbi tunc temporis comitia regni Hungarici habita ſunt & Comes de Eſterhaſi Palatinus creatus eſt. Stadam venit an. 1689, eodemque anno iis annumeratus eſt, qui in Dicaſteriis Regiis cauſſis patrocinantur. An. 1693 d. 22 Nouembr. Ampliſſ. Senatus Stadenſis eum ſibi Secretarium adſciuit.

Albertus MARTENS *Reipublicae Stadanae Praetor.*

Stadae natus eſt patre *Iacobo* MARTENS ciuici ordinis viro, matre *Metta zum* FELDE. Litteras humaniores & Philoſophiae principia hauſit in Gymnaſio noſtro, cui tunc *Mislerus* Rector & *Büttnerus* Conrector praefuerunt. Academica ſtudia orſurus, anno 1688 m. April. Roſtochium adiit, vbi a *Kleinio* & *Müllero* legum ſcientiam; a *Lindemanno* vero philoſophiam fuit edoctus. Ex Alma Roſarum an. 1689. m. April. in Philuream abiit, ibidemque *Franckenſteinium* tam iuris publici docendi cauſa in Vitriarium commentantem, quam Geographiam praelegentem ac relationes publicas commentario illuſtrantem audiuit. Nec minus hiſtoriam & doctrinam moralem percepit a *Menckenio* (quo hoſpite vſus eſt); iuri autem ductu *Schreiteri* operam nauauit. Domi poſt abſoluta ſtudia Academica duos annos commorato, Illuſtriſſ. Comes *de Lewenhaupt* an. 1693. prolis educandae prouinciam demandauit, eundemque non multo poſt copiis ſuis Secretarium adeſſe voluit. Luſtratis poſtea Belgio & Anglia, venit in Daniam, iuſſuque CHRISTIANI, Principis regio ſanguine

Digitized by Google

ſanguine nati, legioni Iudex militaris interfuit. Tandem anno 1704 Hafnia in patriam reuocatus eſt, ac d. 11 Nouembr. Reipublicae noſtrae Praetor communi ſuffragio electus.

Gerhardus MEIER *SS. Theol. D., Conſiſtorii Regii per Ducatus Brem. ac Verdenſem, quod Stadae eſt, Conſiliarius, Paſtor ad D. Petri Bremae primarius, Circuli Eccleſiaſtici Bremenſis Superintendens & Scholarcha.*

Ortum eius ſibi vendicat florentisſimum in vicinia noſtra emporiū, Hamburgum, vbi an. 1664 d. 24 Auguſt. lucem adſpexit. Adoleſcentem admodum parentes *Henricus* MEIER, ciuis & mercator ac *Catharina* PORMANIA domeſticis praeceptoribus rerum diuiniorum & literarum rudimentis imbuendum tradiderunt. Quae cum mediocriter percepiſſet, ab ore *Henr. Foppii*, clarisſimi deinceps Herefordienſium Rectoris, pependit, eundemque fidelisſimum doctorem per ſeptem annos fuit expertus. Anno 1676 haeſitauit inter ſtudia literarum proſequendi & mercaturae ſe addicendi conſilium, vsque dum d. 4 Auguſti funeſtum incendium, quod accidit vicinorum incuria, omnem hanc dubitationem ſuſtulit, & peropportune docuit, ſatius eſſe, bonis eiusmodi, quae flamma non abſumit, gaudere, & cum Biante omnia ſua ſecum portare, quam inhiare magnis diuitiis. Quare in ſtudiis literarum ſtrenue perrexit, moxque linguae Hebraeae addiſcendae operam impendit, nactus egregios duces *Foppium* ſupra laudatum & *Esdram Edzardum*, literarum Orientis eximium ſtatorem. Eodem Edzardo facem praeferente, in Chaldaicis, Syriacis, Rabbinicis, imo & Theologicis haud ſpernendos fecit progreſſus. Anno 1679 Gymnaſio patrio ciuem ſe dedit, in quo viros non ſolum de Gymnaſio Hamburgenſi, ſed etiam de republica literaria meritisſimos *Capellum, Siuerum, Vagetium, Placcium, Anckelmannum* & *Büttnerum* cum fructu audiuit, ac duas Diſputationes ſuo Marte elaboratas pro roſtris defendit. Ex patrio

hoc

hoc Muſarum domicilio in Almam Philuream, quae Lipſiae floret, abiit, ſummorumque virorum *Carpzonii*, *Olearii*, *Pfeifferi*, *Alberti*, *Menckenii*, *Rechenbergii*, *Cypriani* & *Riuini* fuit auditor; neque *Bornium* publicae Ius Canonicum explanantem neglexit. Inde anno 1684 Wittebergam venit, vbi itidem viri laude mea longe maiores *Calouius*, *Quenſtedius*, *Waltherus*, *Mayerus*, *Loeſcherus*, *Bebelius*, *Zieglerus* & *Daſſouius* ſtudiis ipſius magnum attulerunt incrementum. Addo eximia quondam Almae Leucoreae ornamenta *Strykium*, *Roehrenſeum*, *Kirchmaierum* & *Donatum*, ex quorum partim conſiliis, partim diſputationibus publicis itidem valde profecit. Anno 1685 lauru Philoſophica eum ornauit *Michael Strauchius*, & poſt biennium *C. S. Schurzfleiſchius* (quo adiutore hauſit ſcientiam, quae rerum geſtarum memoriam conſeruat) ordini Adiunctorum Fac. Phil. adſcripſit. Facultatem aperiendi ſcholas Theologicas fecit ipſi ſumme venerandus Theologorum ordo an. 1689 Kalendis Februariis. Eruditionis ſpecimina dedit varia & in cathedra tam inferiore, quam ſuperiore virum ſe praeſtitit. *Collegiis*, ſunt verba Magnif. Loeſcheri in Progr. Witteb. 1692. edito, quod vitam Noſtri enarrat & hactenus a nobis dictis fidem conciliat, pag. B 2, *vacauit compluribus. Non Grammaticas modo interpretatus eſt, Graecam, Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam, ſed integra praelegit volumina, Geneſin, Ioſuam, Ieſaiam, Pſalmos, Iobum, ſingulos XII Prophetas, nec non Danielem atque Esram, & in hos Rabbinorum exegeſes, vt & quaedam Matthaei & Lucae, Epiſtolam Iudae, Ep. ad Galatas, nec minus Excerpta, quae ex N. T. celeb. Cellarius dedit Syriaca. Accentuationem Proſaicam, Decalogicam ac Metricam, in pauciſſima praecepta redactam, vice plus ſimplici tradidit. Controuerſias potiores Philologicas paucis theſibus fuit complexus, vt ſtatus controverſiae, & vtrae praeponderarent rationes, negotio haud difficili perciperetur. Logicam Saurii atque Ebelii, Metaphyſicam Donati, Hermeneuticam S. Pfeifferi, Breuiculum Scherzeri, Theologiam Poſitiuam Königii, Hodegeticum Carpzouii & in hoc vberiorem explanationem a Riuino adornatam identidem fuit interpretatus, ea lege, vt Philoſophica atque Theologica ſub diſputationis incudem priuatim reuocaret. Artem enthymemata beneficio maximarum Topicarum inueniendi, amplificandi, diſponendi, diſpoſitiones variandi, extrahendi poriſmata, formandi vſus, mouendi affectus, denique ſingulas concionum periodos connectendi, docuit perſpicue.* Witteberga in patriam reuocatus eſt anno 1691 & defenſa ſine reſpondente, non ſine applauſu δοκιμαστικῇ Diſputatione

L Pro-

Profeſſoris Publici Logices ac Metaphyſices ſpartam d. 22 Decembr. oblatam d. 12 Ian. 1692 auſpicatus eſt *Oratione Inaugurali de Cauſis potioribus, quare noſtris temporibus Logicae, Metaphyſicae ac Pneumaticae ſtudium recidat ad paucos*, Vagetii, praeceptoris quondam ſui, ſucceſſor. Conf. Celeb. Fabricii Memor. Hamb. Vol. II. pag. 1094. Anno eodem 1692 diſputauit Wittebergae pro ſummo in Theologia gradu *de Myſteriis Pentecoſtalibus in Paradiſo reuelatis.* Acceſſitus paulo poſt in Academiam Halenſem vt Theologiam pariter ac Philoſophiam ibi doceret, eo ſe conferre & munus hoc obire recuſauit. Vid. Brem. Liter. pag. 48. Anno autem 1698 Quedlinburgi prouinciam Paſtoris primarii ad D. Benedicti, Superintendentis & Conſiliarii Eccleſiaſtici capesſiuit, cum d. 6 Octobr. eiusd. anni Doctoris Theologi honoribus Wittebergae inſignitus, d. 11 Octobr. Hamburgi ordinatus eſſet & d. 20 eiusd. menſis Gymnaſio patriaeque valedixiſſet. Quedlinburgo denuo an. 1699 Halam vocatus & in B. D. Io. Chriſtian. Olearii, Paſtoris primarii, Conſiliarii Eccleſiaſtici & Inſpectoris locum electus, delatum ſibi munus non accepit, perſpecta ſcilicet Potent. Electoris Brandenburgici voluntate, qui eum Quedlinburgi retineri praeoptauit. Vid. Ioach. Meieri Antiquitatt. Meierian. pag. 144. Brem. Lit. l. c. & praeſertim Noſtri Unverwerfliche Zeugniſſe gegen Sprögel pag. 12. Sub finem ſaeculi ſuperioris S. R. M. Suecica Conſiliarii Conſiſtorii per Ducatus Brem. ac Verd., quod Stadae eſt, itemque Paſtoris in aede D. Petri Cathedrali Bremae primarii, Circuli Eccleſiaſtici Bremenſis Superindendentis & Scholarchae munia clementisſime ei demandauit, quibus fungi coepit an. 1701 d. 3 Aug. easque partes ea, qua fas eſt, cura ac dexteritate hactenus expleuit.

Scripta Latina.

Diſputatio Logica de Enunciationis Categoricae Partibus & Speciebus. Praeſ. Io. Vagetio. Hamb. 1682. 4. pl. 1½.

Pſychologia, ſiue Diſputatio de Anima Rationali. Praeſ. Dan. Büttnero. Hamb. 1683. 4. pl. 3½.

זרעו של משיח *ſ. de Semine Mesſiae ex Ieſ. LIII. 10.* יראה זרע *contra Iudaeos ex Iudaeis Diſputatio prima.* Praeſ. Andr. Sennerto. Witteb. 1686. 4. pl. 3½.

Diſpu-

Diſputatio ſecunda. Reſp. Io. Bütero. ibid. 4. pl. 2.

— — *tertia.* Reſp. Io. Chriſtoph. Schambach. ibid. 4. pl. 2.

— — *quarta & vltima.* Reſp. eodem. ibid. 4. pl. 2.

Horae Philologicae in Amen impenſae. Reſp. Io. Iac. Bechler. Witteb. 1687. 4. pl. 4.

Celeberrimorum Leusdeni atque Athiae Bibliorum Sphalmata quinque, criticis illuſtrata Animaduerſionibus. Reſp. Io. Georg. Burkhardo. Witteb. 1687. 4. pl. 2.

Θείας Κοινωνία φύσεως *hypotypoſi ſaniorum verborum ex II. Pet. I. commate quarto congruenter enucleata.* Praeſ. Mich. Walthero. Witteb. 1689. 4. pl. 4.

De Verſione, quam vocant, LXXvirali Ιστορούμενα *Iſaaco Voſſio potiſſimum oppoſita.* Reſp. Io. Langio. Witteb. 1690. 4. pl. 4.

Meditationes ſucciſiuae, τὸν Κύριον πολυσπλάγχνον *ex* המו מעי לו *Ierem. XXXI. 20. quantum per Philologiae limites licuit, illuſtrantes.* Reſp. M. Herm. Petraeo. Witteb. 1690. 4. pl. 3¼.

Iſaacus Voſſius Ανεβραϊστίας *inſimulatus atque conuictus.* A. & R. M. Io. Weinberg. Witteb. 1692. 4. pl. 6.

Tmemata Miſcellanea I. Logica maximam partem Reali de Vienna; II. Metaphyſica pariter atque Pneumatica variis non infimi ſubſellii viris modeſte oppoſita. Hamb. 1691. 4. pl. 1½.

Diſputatio SS. Triada ex Naturae Libro non poſſe cognoſci, nedum demonſtrari, Altingio, Poireto & Anonymo cuidam recentiori probatum dans. Reſp. Chriſtian. Leuens. Hamb. 1694. 4. pl. 3.

Thomae Hobbeſii Angelographia in ordinem & ſub examen reuocata. Reſp. eod. Hamb. 1694. 4. pl. 1.

Rationales de Virginis Partu Cogitationes. Reſp. Eberh. Ahrnds. ibid. 1695. 4. pl. 3½.

Paradoxon de Archangelis Enthymema. Reſp. Nicol. Müller. Hamb. 1695. 4. pl. 3½.

Logicae Brutorum antiquis pariter atque veris innixae hypotheſibus Caput primum de Brutorum Perceptione. Reſp. Io. Stahl. ibid. 1697. 4 pl. 5½.

De Dubitatione Sceptica & Carteſiana. Reſp. eod. Hamb. 1697. 4. pl. 1.

Diſputationum Hamburgenſium quarta, quae exhibet Logicae Dei Compendium. Reſp. Balthaſ. Mentzero. ibid. 1697. 4. pl. 1.

Digitized by Google

Diſputationum Hamburgenſium ſexta Reſurrectionis Posſibilitatem rationi non ignotam exponens. Reſp. Ern. Conradi. ibid. 1697. 4. pl. 1.

Diſputationum Hamburgenſium octaua edisſerens Reſurrectionem Carnis ignotam rationi. Reſp. Ioach. Hartvv. Turban. ibid. 1697. 4. pl. 1.

Diſputationum Hamburgenſium decima Aranearum Telas diuinae Exiſtentiae teſtes in ſcenam producens. Reſp. Balth. Mentzero. ibid. 1697. 4. pl. 1.

Diſputationum Hamburgenſium duodecima Contradictionis Labem ſextae atque octauae de Carnis Reſurrectione Diſputationibus adſperſam, quanta fieri potuit modeſtia, eluens. Reſp. Ern. Conradi. ibid. 1697. 4. pl. 2½.

Deus ex Pluuia indagatus ad Act. XIV. 17. Reſp. Io. Mothes. ibid. 1697. 4. pl. 1½.

De Surdorum Enunciationibus. Reſp. Ern. Conradi. ibid. 1698. 4. pl. 1.

Angelorum Logica primis velut lineis deſignata. Reſp. Warner. Eric. Tonnemacher. ibid. 1698. 4. pl. 4.

Diſputatio ſolennis Hamburgenſium vltima de Ariſtotelis Salute. Reſp. Dau. Schulteto. ibid. 1698. 4. pl. 3½.

Memoria Io. Vagetii Logicae & Metaphyſicae in Gymnaſio Hamburgenſi Profeſſoris, quam inſeruit celeb. Io. Alb. Fabricius Vol. III. Memor. Hamburg. pag. 461 - 523.

Artes Liberales ac Scientiae pedibus Ampliſsimi Senatus Collegiique Scholarchici aduolutae, propter iniuriam ſibi Hamburgi haud adeo pridem illatam, in queſtus effuſae. Hamb. 4. pl. 1. Extruſerat in publicum Hamburgi circa annum 1696. ſub perſonato *Realis de Vienna* nomine *Wagnerus* quidam plagulas nonnullas, **Vernunfft-Ubung** inſcriptas, in quibus liberiora de variis rebus iudicia profert, Logicam, Ethicam, Metaphyſicam, Oratoriam & quicquid praeter Phyſicam, Matheſin & Hiſtoriam (**denn darinn muß die gantze Welt-Weisheit beſtehen** / inquit pag. 30) ad Philoſophiam pertinere poteſt, cauillatur, ſcientias nobiliſsimas per riſum & iocum contemnit & Agrippae inſtar vanas ac ſuperuacaneas exiſtimat. Contra hunc Noſter, cum in Gymnaſio Hamburg. Profeſſoris Logices ac Metaphyſices ſpartam ornaret, ad Senatum & Scholarchas hoc ſcripto retulit; vnde Wagnerus ab vlteriori ſcriptione mox fuit prohibitus.

De

Digitized by Google

De Peccatorum Syngrapha per Chriſti ſanguinem deleta ex Col. II. 14. Reſp. Paul. Chriſtoph. Höpfner. Quedlimb. 1700. 4. pl. 4.

De Diuo Luthero Pontificiorum Reformatorumque Iudicia mitiora binis orationibus ſolennibus a M. Samuele Sommerfeld & Io. Balth. Schotto habitis Programmatis loco praemiſſa. Bremae. 1708. 4. pl. $1\frac{1}{2}$.

Diſputationum Philologico-Hiſtorico-Theologicarum Prodromus, tmemata varia complexus. Reſp. Ioſeph. Maximil. Rentachs. Bremae. 1709. 4. pl. $1\frac{1}{2}$.

Iuſtum Examen Sponſaliorum Sororii cum Glore. Reſp. Wilh. Henr. de Mansberg. Bremae. 1710. 4. pl. 5.

Germanica.

Die wahre Nothwendigkeit des Kirchen- und Abendmahl-gehens wieder M. Gottfried Arnold. Im Nahmen des Quedlinburgiſchen Miniſterii. Scripto huic quid occaſionem dederit, exponit in Praefat. ſcripti ſubſequentis.

Unverwerffliche Zeugniſſe 1. aus Berlin/ 2. aus Quedlinburg/ 3. der Sachen ſelbſt/ daß der zum andernmahl nach eingeholtem Urtheil und Recht ſuſpendirte Quedlinburgiſche Praebendat, Herr Io. Henricus Sprögel mehr als dreiſſig Unwahrheiten und unerfindliche Beſchuldigungen in ſeiner ſo genannten Ernſtlichen Entdeckung des verkehrten Eyfers ungeſcheuet ausgeſtoſſen habe. Woraus zugleich erſcheinlich/ theils der Ausgang der zu Quedlinburg von den Stillen im Lande und ihren getreuen Gehülffen veranlaſſten Commiſſion in Kirchen-Sachen; theils die wahre Urſache/ warum auff Hn. M. Arnolden Erläuterung des Kirchen- und Abendmahl gehens nicht geantwortet ſey. Bremen 1702. 4. pagg. 100.

Gründlicher Beweiß/ daß der zum andernmahl nach eingeholten Urtheil und Recht ſuſpendirte Quedlinburgiſche Praebendat, anietzo nach Werben berufſener Prediger/ Herr Io. Henr. Sprögel in der ſo genannten Gründlichen Beantwortung durch ſeine Ungerechtigkeit/ Bitterkeit/ Heucheley/ Luſt zum Wort-Gezäncke/ Unwiſſenheit und Liebe zur Unwahrheit aller Beantwortung ſich unwürdig gemacht habe. Bremen. 1703. 4. pagg. 38.

Das gegen die zukünfftige Herrlichkeit abgewogene Leiden dieſer

ſer Zeit/ in einer Gedächtniß-Predigt / Sophien Marien Schreiberin den 30 April 1699 gehalten / der Quedlinburgiſchen Gemeine zu S. Benedicti aus Rom. VIII. 18. Schrifftmäßig vorgeſtellet. Bremen. 1703. 4. pagg. 70.

Die zur geſeegneten Erndte-Zeit bethränte Todes-Erndte nach Beerdigung Anna Catharina thor Specken in einer Trauer- und Troſt-Rede im Sterb-Hauſe fürſtellig gemacht. Bremen. 1704. 4. pl. 1.

Das gegen das Evangelium von der Wittwen zu Nain vorher verkündigte Lebens-Ziel nach volckreicher Leich-Beſtattung Hermann Büſchings der Trauer-Verſammlung zu Gemüthe geführet. ibid. 1704. 4. pl. 2.

Die zur Anmuths-vollen Roſen-Zeit hinfällig gewordene Roſe nach anſehnlicher Beerdigung Anna Sophia thor Specken denen Leichbegleitern zur reiffern Betrachtung übergelaſſen. ibid. 1705. 4. pl. 2.

Der durch Sterben erfüllte Hochzeit-Wunſch nach Volckreicher Leich-Beſtattung Lucien Meyerin der Traur-Verſammlung fürgeſtellet. ibid. 1705. 4. pl. 1½.

Die einem Engel beſtimmte Monden-Zahl nach geſchehener Beerdigung Engel Mehne zur reifferen Erwegung fürgeſtellet. Bremen. 1705. 4. pl. 1.

Rahels in einen Sarg verwandeltes Wochen-Bette zum ſchuldigſten Ehren-Gedächtniß Annen Marien thor Specken in der zur Trauer-Kammer gewordenen Wochen-Stube auffgeführet. ibid. 1706 4. pl. 2.

Troſt-Schreiben über den ſchmertzlichen Todes-Fall der wollgebohrnen Fr. Otilia Maria von Liſſenhaim. Stade. 1706. fol. pl. 2.

Die nach ihrem Tode lebende Rebecca nach anſehnlicher Leich-Begängniß Rebecca Chriſtiani im Sterb-Hauſe fürſtellig gemacht. Bremen. 1708. 4. pl. 2.

Der nach ſchwerem Kampff gekrönte Michael nach anſehnlicher Leichbeſtattung Hn. Michaelis *Neſſenii* den geehrteſten Leich-Begleitern vor Augen gemahlet. ibid. 1708. 4. pl. 2.

Zerſtreuete Gedancken über ſeines erdrückten Kindes Margareten Sophien Meierin jehligen dazu gewaltſahmen Todt. ibid. 1709. 4. pl. 2.

Der

Der unendlichen Liebe GOttes unermeßliche Grösſe nach vollendeter Leich-Beſtattung Marien Saurmannin der Trau-Verſammlung vor die Augen gemahlet. ibid. 1709. 4. pl. 4.

Ein lange grünender und fruchtreicher doch verwelcklicher Oelbaum nach anſehnlicher Leichbeſtattung Annen Agneſen Bremerin auff dero Grab gepflantzet. ibid. 1710. 4. pl. 3.

Die durch Todes-Fälle ungeſtörte Frülings-Laſt am Begräbniß-Tage Davids Ruete fernerem Nachſinnen übergelaſſen. ibid. 17 0 4. pl. 2.

Drey Kronen gottſeliger Alten bey der Jubel-Hochzeit Hans Kayſers und Margareta Bramanns fürſtellig gemacht. ibid. 1710. 4. pl. 3.

Die allernechſt vor dem längſten Tage am hellen Mittage untergehende Sonne/hinterlaſſende an Georg Chriſtian Mehne Begräbniß-Tage einen ſchwartzen Schatten. ibid. 1710. 4. pl. 1½.

Hiobs und Davids geſegnete Kinder-Zahl im Pleßkiſchen Hauſe erneuert. ibid. 1710. 4. pl. 2.

D. Luthers löbliches Verhalten bey ſeines ſchon erwachſenen Kindes Ableben allen rechtſchaffenen Lutheranern / in welchen kein falſch iſt / insonderheit denen Eltern Johann Arnold Mehne an deſſen Begräbniß-Tage zur Nachfolge angeprieſen. ibid. 1711. 4. pl. 2.

Hiobs und Davids nachahmenswürdiges Betragen nach ihrer Kinder Sterben denen Eltern Johann Hartmann Pleßken nach deſſen Beerdigung zur ſchuldigſten Nachfolge fürſtellig gemacht. ibid. 1711. 4. pl. 2½.

Elardus MEIER *Regiorum Dicaſteriorum per Ducatus Brem. ac Verd. Aduocatus.*

O.

M. Laurentius OBERDORFF *ad D. Nicolai Diaconus.*

Patria gaudet Hamburgo, vbi d. 25 Martii an. 1657 vitae initium duxit. Parentes *Laurentius* OBERDORFF, Wertheimenſis, ciuico ordini

ordini Hamburgenſi adſcriptus & *Anna Hedwiga*, *Dieterici* VAGTS, eiusdem conditionis viri, filia, admodum adoleſcentulum *Valentino Rublio*, Wertheimenſi, P. L. C. priuato ſtudio formandum commiſerunt. Cum primum adoleuit aetas, ſcholam publicam Ioanneam adiit, in qua *Ioach. Henningium* Subrectorem, M. *Zach. Möſerum* Conrectorem & M. *Henr. Daſſouium* Rectorem, praeceptores habuit. *Esdras* inſuper *Edzardus* & *Eberh. Anckelmannus*, clarisſimus vterque Philologus priuatim in lingua ſancta penitius cognoſcenda adiutores ſe ei praebuerunt. Abiturus e ſchola patria *de Spiritu S.* publice ad Scholarchas dixit. Ienam inde an. 1674 profectus eſt, inque celeberrimo hoc ſcientiarum emporio temporis haud adeo exigui ſpatium exegit. Quae ad doctrinae diuinioris ſtudium pertinent, auſpiciis trigae Theologorum clarisſimorum *Muſaei*, *Bechmanni* & *Baieri* feliciter percepit. Philologia ſacra eum imbuit *Friſchmuthus*; philoſophia vero *Müllerus*, *Weigelius*, *Posnerus*, *Io. Hundeshagenius*, & *Sagittarius*. Summos in philoſophia honores anno 1677 d. 9. Decembr. eſt conſecutus. In patriam deinceps redux per biennium fere inter eos nomen ſuum profeſſus eſt, qui concionando pro roſtris ſacris ſe exercent. Innotuit poſtea, generoſo Domino *Balthaſari ab Ahlefeld*, & Ahlefeldio defuncto, generoſisſimo Domino *Ottoni Ranzouio* in copiis Chriſtiani V. Daniae Regis ſupremo excubiarum praefecto, qui vterque iuuenibus nobilisſimis tam pietate quam bonis literis erudiendis eum praefecit. In noſtra vrbe cum pedem poſuiſſet, M. Iac. Hackmannum, Reu. Miniſterii Seniorem, labore in concionibus habendis per biennium ſubleuauit, tandemque demortuo Hackmanno ac M. Io. Ern. Büttnero in eius locum ſurrogato, anno 1679. Dom. 6 Trin. conſtitutus eſt verbi diuini in coetu ſacro Nicolaitano interpres, inque ordinem Reu. Miniſterii receptus d. 15 Septembr. anni eiusdem, cum auſpicii cauſa ex Ezech. III. 17. 18. 19. verba feciſſet.

P.

Thomas Chriſtophorus PARPARD *Reu. Miniſterii Canditatus.*

Dramburgo-Neo-Marchicus, an. 1679 lucem adſpexit. Literarum huma-

humaniorum ſtudiis cum Stargardiae, Cuſtrini & Francofurti ad Viadrum (vbi partim ſcholae, partim Academiae ciuis per aliquod tempus vixit, operam dediſſet, abiit an. 1691 Roſtochium, ibidemque tres annos cum dimidio in rerum diuiniorum ſtudio conſumſit.

Ioannes Adolphus PETERSEN *SS. Theologiae Studioſus.*

Ploena-Holſatus, an. 1687 lucem adſpexit. Scholam patriam anno 1703 cum Gymnaſio noſtro permutauit, in quo cum literis probe excultus eſſet, in Academiam Kilonienſem anno 1707 ſe contulit. Fine vero ſtudiis Academicis an. 1710 impoſito, menſe Maio remigrauit Stadam, atque ab eo tempore generoſae proli D. de Wangelin, legionis Praefecti, a ſtudiis fuit.

Nicolaus Georgius PFANNENSTIEL *Reipublicae Stadenſis Praetor.*

Natus eſt Stadae anno 1657 d. 14 Decembris. Pater ipſi fuit *Samuel* PFANNENSTIEL rei tormentariae Subcenturio: mater *Agneta* REVSSEN. Fundamentis in ludo literario patrio poſitis, in Alma Salana, ad quam an. 1678 profectus eſt, ſtudia iuridica per biennium ſuperſtruxit. Anno 1684 Comes de Schlippenbach, Legatus Generalis equitum Boruſſiacorum, eum ſibi a ſecretis eſſe voluit, & deinceps in Sueciam miſit, vbi duos annos cum dimidio conſumſit. Anno 1693 conſtitutus eſt Iudex Achumenſis, & quadriennio fere interiecto, anno ſcilicet 1697 d. 18 Octobr. tempore non conſueto (etenim more maiorum die Martiniano in Curia ciuitatis noſtrae fit electio) in Senatum patrium aſſumtus eſt, Praetorisque ſpartam obtinuit. Quod officium cum vix paucos dies geſſiſſet, in Sueciam miſſus eſt d. 23 Octobr., vt CAROLI XI glorioſiſſimae memoriae Suedorum Regis, exequiis ducendis nomine Senatus noſtri intereſſet. Anno etiam 1706 pro curandis negotiis publicis ad Regem noſtrum in Saxonia tunc verſantem, vna cum aliis orator miſſus eſt.

Digitized by Google

Ioannes Matthias POSTELS *I. V. Candidatus.*

Stadenſis, natus an. 1684. m. Octobr. poſt ſtudiorum ſementem in Gymnaſio patrio, meſſem vero in Academiis Gryphisvvaldenſi & Ienenſi factam, inde ab anno ſuperiore patriae redditus foro ac reipubl. ſe cupit deſtinatum.

R.

Michael RICHEY *Philoſophiae Magiſter & Gymnaſii Rector.*

Hamburgi parentibus honeſtisſimi inter ciues ordinis (quos ambos aetate graues ante hoc biennium vno funere coniunctim extulit) natus eſt an. 1678 d. 1 Octobr. Annum aetatis tertium ingreſſus, cum inſtitutionis iam capax videretur, in ſcholam cuiusdam *Henrici Melchioris Franckii* miſſus, & ab eo continuis octo annis a primis elementis eo vsque perductus eſt, vt an. 1689 in Ioannei publici claſſe quarta locum nanciſceretur. Per ceteros huius ſcholae ordines maiore felicitate quam feſtinatione viam emenſus, comparata ex fidelisſimis praeceptoribus (quorum ſancta ipſi memoria eſt) *Gelckero*, *Gebbardo*, *Kriiſikenio*, *Henningio*, *Schultzio* literarum ſubſidia in Gymnaſium extulit. Ibi vero ampliorem ingreſſus ſcientiarum campum, triennium totum in eo conſumſit, tanto quidem in doctores pariter ac doctrinam affectu, vt quaecunque intra illud triennium a ſingulis profeſſoribus ſiue publice ſiue priuatim aperirentur ſcholae, iis omnino omnibus ipſe interfuerit, nihil ſibi magis proficuum ratus, quam ſcientias omnes, quarum commune aliquod vinculum eſt, ad ſacrum illud ſtudiorum genus, cui ſe dediderat, conferre. Itaque morum doctrinam & dicendi praecepta hauſit ex *Vinc. Placcio*. Linguas aliquot Orientis eum docuit *Eberhard. Anckelmannus*, Rabbinorum lectionem addidit venerandus ſenex *Esdras Edzardus*, eiusque filius *Iodocus*, quem etiam in iisdem literis poſt alios domeſticum habuit praeceptorem. Philoſophiam primam & rationalem, cum diſputandi peritia accepit a *Gerbardo Meiero*, nunc ſumme reverendo

Digitized by Google

verendo Bremenſium Praeſule, ex cuius non exemplo minus perfectiſſimo, quam inſtitutione profecit. In Matheſeos partibus variis eum erudiuit *Balthaſ. Mentzerus*; quemadmodum in naturali philoſophia *Io. Müllerus*; quamquam in Mathematicis non parum etiam debeat *Henr. Meinero*, ſcholae Iacobeae Praefecto & Societatis Arithmeticae, quae Hamburgi floret, poſt Valent. Heinſium ſtatori. Hiſtoriam vero ſacram pariter ac ciuilem fideliſſime ei propinauit *Georg. Eliez. Edzardus*, cui literariam addidit celeb. *Io. Alb. Fabricius*, nondum tunc temporis officio publico admotus, quo ipſo etiam poſt reditum ex Academiis magiſtro vſus fuit, & quidquid in ſe eſt erga elegantiſſimum hoc literarum genus amoris, id omne Fabricianis inſtitutionibus acceptum refert. Et quemadmodum ex ſchola Ioannea non diſceſſerat, niſi datis aliquot partim ex theatro, partim ex cathedra, ligato pariter ac ſoluto ſermone ſpeciminibus publicis; ita in Gymnaſio quoque pulpita non ſemel conſcendit. Sub Magnifici enim *Io. Frid. Mayeri*, (cuius ſcholas varias Theologicas itidem Hamburgi frequentauit noſter) praeſidio *de Antiquiſſima Germanica S. Scripturae Verſione* d. 14 April. 1697. iterumque *de Verſionibus Scripturae S. ante Lutheri translationem impreſſis* d. 8 Sept. 1697 diſputauit. Quin eum ſummus hic Theologus ita carum habuit, vt luculentam ſuam *de Catharina Lutheri coniuge* commentationem an. 1698 non tantum pro cathedra defendendam ipſi committeret, ſed nomini etiam ipſius peramanter inſcriberet. Tantorum igitur virorum opera excultus, cum etiam linguarum Italicae, Gallicae, Anglicae & Belgicae facultatem mature acquiſiuiſſet, primo vere an. 1699 Wittenbergam adiit, Theologisque celeberrimis formandum ſe tradidit, quos inter *Phil. Lud. Hannekenii* (cuius conuictu vſus eſt) & *Io. Georg. Neumanni τῶν νῦν ἐν ἁγίοις* aſſiduus fuit auditor. Praetereo reliquos aliarum ſcientiarum doctores *Chr. Vaterum*, *Mich. Strauchium*, *Chriſtianum Röhrenſee*, *Io. Bapt. Roeſchelium*, *Henr. Klauſingium* (quo praeſide an. 1701 *de Matheſi noua non noua* diſputauit) *Sam. Cnauthium*, aliosque quibus omne ſuum tempus, quod a Theologicis ſtudiis vacuum erat, conſecrauit. Inprimis continenter adhaeſit magno polyhiſtori *Conr. Sam. Schurzfleiſchio*, qui eum non tantum praeſentem amauit & primicerium ſuum, vt vocabat, propius admiſit, ſed deinceps etiam abſentem, dum viueret, literis identidem proſecutus eſt. (conf. etiam

Digitized by Google

eius Poemata pag. 306.) Ab eodem Schurzfleiſchio ſub exitum anni 1699 Philoſophiae Magiſter renunciatus, & inter XXXI Candidatos principe loco donatus eſt. Exacto illic fere triennio, cum iam ſe totum compoſuiſſet ad operam ſuam cathedrae Academicae, cui ſe deſtinari dudum optauerat, locandam, iamque docendi periculum priuatim feciſſet, morbus vehementiſſimus (cuius reliquiae hodieque eum affligunt) conatum repreſſit. Qui cum deinceps in lentam tabem degenerare videretur, non ſuſtinuit diutius Wittenbergae periclitari, ſed parentum flagitationibus Hamburgum retrahi ſe paſſus eſt, ibidemque inter manus Medicorum permultum temporis anceps conſumpſit. Interea quidem, annitente Magnif. Mayero, Gryphiswaldiam vocatus, nomenque eius tabulis Profeſſorum inſertum eſt (vid. Nou. Lit. Mar. Balth. 1702. pag. 98) ſed pertinax valetudinis aduerſitas optatiſſimae huic prouinciae eum non conceſſit. Confirmatis deinde quodammodo viribus, cum Glückſtadii in Bibliotheca Gudiana ſubinde eſſet verſatus, Kilonium profectus eſt & ſtudia Theologica duce *Chriſtophoro Franckio*, doctore quondam inclytiſſimo ſibique fauentiſſimo continuauit. Inde Lipſiam ſe contulit, ac Ienae etiam Halaeque Saxonum aliquandiu ſubſtitit viroſque harum Academiarum celeberrimos ſibi conciliauit. Iamque & ſua ſponte & Medicorum ſuaſu iter in Galliam & Belgium moliebatur; ſed vix nobiliorem Germaniae partem peragrauerat, quum inopinato certior fieret, a ſumme Reu. Bremenſium Praeſule commendatum ſe eſſe Ampliſſ. Senatui Stadenſi, vt viro clariſſ. Tobiae Eckhardo Quedlinburgum vocato Rector ſufficeretur. Igitur quamuis initio viribus ſuis in obeundo tam difficili labore diffideret, diuinam tamen voluntatem ſatis animaduertens (quippe neque vnquam Stadae fuerat, neque quemquam hominum illic cognitum habebat) abrupto itinere Stadam conceſſit, & quum Cenſoribus more ſolemni ſe probaſſet, concordibus Patrum ſuffragiis Gymnaſio praefectus eſt. Cuius muneris auſpicium fecit A. 1704. d. 4 Sept. oratione publice dicta *de Veterum Chriſtianorum Diſciplina Scholaſtica.*

Scripta.

Breuis Diſquiſitio de Monogrammate, quod extat in capite Kalendarii veteris ſub Conſtantio Imp. editi, atque a V. Cl. Henr. Leonardo Schurzfleiſchio in

Digitized by Google

in Anno Iuliano, libro commentario illuſtrato, pag. 266 ſqq. ex Petauio, Bucherio & Lambecio repetiti, quae exhibetur in Nou. Liter. Germ. 1704. pag. 333 ſq.

Gallorum quorundam de Germanorum Ingeniis Iudicia iniquitatis conuicta, quo programmate ad audiendas de principe & propria Suecorum Laude Orationes inuitauit. Stadae. 1705. 4. pl. 2. Vid. Nou. Liter. Germ. 1705. pag. 118 ſqq.

Polymnemones ſiue Memoriae diuinioris Exempla plus centum ex varia hiſtoria praeſertim eruditorum depromta, quibus ad audiendam Orationem, qua CAROLVS XII. Suec. Rex cum Alexandro M. modeſte comparatus fuit, inuitauit. Stadae. 1706. 4. pl. 2. Vid. Nou. Lit. Germ. 1706. pag. 126 ſqq.

Polymnemonum Continuatio, qua anniuerſarium Gymnaſii Stadenſis ſacrum in honorem Regis Oratione publica de iis, quae in CAROLO XII diuiniora ſunt, ad d. V Kal. Febr. celebratum indixit. Stadae. 1707. 4. pl. 2. Vid. Nou. Lit. Germ. 1707. pag. 141 ſqq.

De eo, quod nimium videtur, in Iac. Frid. Reimmanni Piis Deſideriis Hiſtoriae Literariae modeſta diſſertatio, qua ad Orationem de Vanitate Diuinationum inuitauit. Stade 1709. 4. pl. 2½. Vid. Nou. Lit. Germ. 1709. pag. 106. Ausf. Ber. von neuen Büchern 7 St. pag. 661 ſq.

Polymnemonum Continuatio altera, qua ad Orationem de Admirandis Muſicae inuitauit. Stadae. 1710. 4. pl. 4.

Polymnemonum Continuatio tertia, qua ad Orationes, quarum altera Sueciam iuſte dolentem, altera Sueciam iuſte ſperantem demonſtrauit, in ſolemnibus CAROLINIS audiendas, concionem virorum ſpectatiſſimorum in Muſeum Stadenſe publicum conuocauit. Stadae. 1711. 4. pl. 4.

Prodiit Ien. 1710. 8. ἀνωνύμως *De optimis ſubſidiis ad comparandam latine ſcribendi facultatem, vna cum Notitia Auctorum Veterum aureae praeſertim & argenteae aetatis, vbi de rebus eorundem, ſcriptis, dictione ac editionibus diſſeritur.* Quod opuſculum cum ex nundinis ad nos perlatum eſſet, noſter inopinato agnouit laborem ſuum, quippe haec ipſa ante quinquennium inſtitutionibus ſtili, quas priuatim tradidit, praemiſerat, & auditoribus ſuis (quibus ipſe ego tum interfui) in calamum dictauerat. Neque vero tam indignatus eſt, iſthaec ſe plane inſcio & inconſulto a quodam fortaſſis diſci-

pulo ſuo, nouello cuidam bibliopolae Rudolſtadienſi diuendita & in publicum euulgata eſſe, quam potius iuſte indoluit, adeo negligenter & vitioſe ex inepto MS. editionem factam, vt nulli fere paginae fides haberi poſſit & de argenteae aetatis ſcriptoribus titulus plane mentiatur. Quid quod turpi oſcitantia ne illa quidem mutata ſint, quae anno 1705 de noua Varronis & Bibliothecae Latinae Fabricianae editione tanquam futura dictabantur. Vnde non iniqua cenſio eſt auctoris elegantiſſimi des neuen Bücher Saals, 5 Oeffn. pag. 410, qui ceteroqui ſatis honorificum iudicium facit. Quo ipſo etiam fortasſis induci ſe patietur Noſter, vt ſi per otium licuerit, libellum illum retractandum ſibi ſumat, & in vſum iuuentutis eum aliquando reddat accuratiorem.

In renouandis *Memoriis virorum de Gymnaſio Stadenſi bene meritorum* iam ab aliquo tempore occupatur. Sed de his aeque ac de aliis eius inſtitutis cum incertam ſpem faciat valetudinis atque vacui temporis caritas, amplius indicium facere non licet.

M. Ioannes Chriſtophorus ROITZSCH
Gymnaſii Conrector.

In lucem editus eſt an. 1676 d. 17 Iul. Pombſenae in Miſnia haud procul Grimma, patre *Chriſtiano* ROITZSCH viri generoſiſſimi Domini Io. Chriſtophori Ponickau, Dynaſtae in Pombſen, Nauenhoff, Grotzſchocher & Wintorff &c. Iudiciorum Praefecto, matre *Maria Sophia*, viri Pl. Reu. *Ioannis* ALBRECHT Paſtoris Floesbergenſis & Beichauienſis Dioeceſeos Bornenſis ex primo coniugio vnica filia. A domeſticis praeceptoribus vsque in duodecimum annum inſtitutus, deinde in illuſtrem Electoralem ad Moldam miſſus eſt, vbi ex informatione virorum clariſſ. M. *Tob. Petermanni*, Rectoris, M. *Io. Wolfgangi Schoenbach* Conrectoris, vtrorumque τῶν ἐν ἁγίοις, M. *Georg. Ermelii* tunc temporis Collegae tertii, hodie Rectoris longe meritiſſimi (cuius doctrinae atque beneuolentiae multum debet) ac *Sam. Iacobi* Cantoris intra quinquennium & quod excedit in literis humanioribus eo vsque profecit, vt ſub finem an. 1693 ad Academiam Lipſienſem contenderet. Ibi primo ſub ephoria M. *Io. Georg. Pritii* Facult. Philoſ. Adiuncti atque ad templum D. Nicolai Concionatoris Sabba-

Digitized by Google

Sabbathici, hodie Theol. D. atque ex Prof. Theologo Gryphisvvaldenſi nuper Superintendentis Francofurtani humaniora atque philoſophica ſtudia vlterius excoluit. Deinde ad Theologorum ſcholas admiſſus praecipue *Carpzouium*, *Ittigium*, *Seligmannum* nunc beatos atque in hunc vsque diem ſuperſtitem Celeberr. *Io. Schmidium* auſcultauit. An. 1695 primam Philoſophiae lauream, quam Baccalaureatum vocant, annoque 1697 ſupremum in Philoſophia honorem conſecutus eſt. His praemiis ſtudiorum ornatus, integro fere quinquennio Lipſiae exacto, an. 1698 Hamburgum conceſſit atque a Magnif. D. *Io. Frid. Mayero*, tum temporis Hamburgi viuente, benigne exceptus non ſolum ab eius ore tum in cathedra tum in ſuggeſtu dicentis conſtanter pependit, ſed etiam ſcholas Hebraicas celeberrimi iſtius temporis Philologi *Esdr. Edzardi* SS. Theol. Lic. ſedulo frequentauit. Poſtea per aliquot annos aliorum inſtitutioni vacauit, vsque dum an. 1704 d. 24 Iul. ab Ampliſſ. Senatu huius loci Conrector Gymnaſii eſt electus atque vocatus ac d. 6 Septembr. eiusd. an. praeuia *Oratione de hodierno Scholarum ſtatu* ſolenniter inauguratus.

Ad prelum paratas habet Stadiſche Danck-Reden ſ. *Parentationes*, quas hic loci in exequiis honoratiorum perſonarum dixit, *Annotationibus* exornatas.

Otto ROSENBRVCH I. V. D. *Summi Tribun. Wismar., Regg. Dicaſterior. & Cauſarum Cameralium per Ducatus Brem. ac Verd. Aduocatus.*

Patria Brunſuicenſis, natus eſt an. 1659 patre *Ottone* ROSENBRVCH I. V. L. & Canonico ad S. Blaſii, matre *Dorothea* MITTELSTRASSEN. Literarum rudimenta percepit in ſchola patria Martiniana, commiſſus deinceps nonnullorum praeceptorum priuatorum, quos inter fuit *Io. Balth. Kleſſen*, I. V. D. inſtitutioni. Anno 1681 Academiam Marpurgenſem ſalutauit, in qua biennii ſpatium exegit, ac ſcholas priuatas *Io. Tesmari*, *Io. Goeddei* aliorumque publicorum iuris doctorum frequentauit. Deſcendit quoque cum commilitonibus in arenam & Goeddeo Praeſide *Poſitiones Iuris controuerſas ex ff. Lib. XXII ſele-*

ctas

ctas an. 1682 exercitii gratia diſquiſitioni ſubmiſit. Marpurgenſem Academiam cum Alma Ludouiciana, quae Gieſſae Haſſorum floret, anno 1683 permutauit. Interfuit ibi ſcholis iuridicis priuatis *Nicolai Thielen, Anton. Henr. Mollenbecii, Frid. Nitſchii* & *Bernh. Lud. Mollenbecii* (ſub cuius praeſidio *Concluſionum Iuridicarum Syllogen ex Lib. 1. ff. ſelectam* publice ventilandam propoſuit) tandemque menſe Octobr. pro Licentia obtinendi ſupremam lauream Iuridicam ſine Praeſide diſputauit. Inde an. 1684 Heidelbergam profectus eſt, ſtudiisque Academicis finem impoſuit. Heidelberga Spiram anno ſubſequente abiit, vbi praxi Camerali addiſcendae induſtriam ſuam nauauit, & eum in finem iudiciis publicis adeſſe non neglexit. Stadae ſedem fixit an. 1686, & deferentibus ad ipſum rerum ſuarum pericula opem ſuam in Iudiciis non denegauit. Aduocatus ordinarius Dicaſteriorum Regiorum, quae Stadae florent, declaratus eſt anno 1690, relatusque deinceps Wismariae in indicem eorum, qui cauſas in Summo Tribunali defendunt. Anno 1691 ab Illuſtriſſ. Barone Henrico Horn, Gubernatore Generali Ducatuum Brem. & Verdenſ. Regiaque Camera Bremenſi Cauſarum Cameralium Aduocatus conſtitutus eſt, quod munus hactenus continenter geſſit.

Habentur ab eo

Diſſertatio Iuridica de Satisdatione pro Expenſis & Reconuentione. Praeſ. *Io. Goeddeo.* Marpurgi Cattor. 1683. 4. pl. 2½.

Diſſertatio Inauguralis de Concluſione Cauſae. Gieſſae Haſſor. 1683. 4. pl. 4.

S.

Olaus SANDBERG *Illuſtriſſimi Comitis Mauritii Vellingk, Ducatuum Brem. & Verd. Gubernatoris Generalis, Secretarius.*

Guſtauus Carolus SCHARNHORST *Conſiliarius Iuſtitiae & Aſſeſſor Curiae Prouincialis S.R.M. Suedicae in Ducatibus Bremenſi & Verdenſi.*

Vene-

Veneratur parentes *Andream* SCHARNHORST S. R. M. Suecicae Inſpectorem primarium vectigalium per Ducatus Bremenſem ac Verdenſem & *Annam de* HASSELN, quibus natus eſt Verdae anno 1670 d. 27 Octobris. Gymnaſio Stadano nomen dedit an. 1682, inque eo ductu *Io. Hartmanni Mulleri* Rectoris & *Io. Ern. Büttneri* Conrectoris tam egregios fecit progreſſus, vt anno 1689 idoneus ad audiendas cum fructu lectiones Academicas fuerit iudicatus. Menſe itaque Aprili in Academiam Ienenſem, foecundiſſimam ingeniorum & diſciplinarum nutricem, abiit, ſacrarum legum vaſto oceano ſe commiſſurus. Quem curſum vt ex animi ſententia conficeret, moderatores ſtudiorum ſibi elegit viros vndiquaque celeberrimos. Sedulum enim auditorem ſe praebuit magno *Lynckero*, eiusque collegiis tam publicis quam priuatis ad *Inſtitutiones Iuſtinianeas*, *Introductionem ad Ius Publicum Schwederianum*, *Ius Feudale Struuianum* ac *Ius Canonicum Deſſelii* interfuit. Neque neglexit ſcholas, quas *Io. Bernhardus Friſen* Inſtitutionum & Digeſtorum explicandorum cauſa tum aperuit, *Sleuogtium* item ac *Wilduogelium* publice iura docentes auſcultauit. Vt ſilentio praeteream *Hartungi* Collegia philoſophica ad iurisprudentiam directa & *Schubarti* Politica, quae itidem vna cum aliis frequentauit. Peracto in Alma hac Salana triennio & Lipſia, Wittebergą aliisque locis atque Academiis celebrioribus luſtratis, an. 1692 reuocatus in patriam rediit, inque ea annum & quod excurrit commoratus, id dedit operam, vt, quae hactenus doctrinae ſubſidia ſibi comparauerat, ea ad vſum aliquem in foro transferret. Anno autem conſequente, menſe Septembri ad naſcentem tunc Academiam Fridericianam, quae eſt Halae Magdeburgicae, denuo excurrit, vbi praeter alios illuſtrem *Strykium* non ſine nouo ſtudiorum incremento audiuit. Hinc anno 1694 celeberrimam Salanam repetiit, ibidemque menſe Iunio datis conſuetis ſpeciminibus, quum more academico Doctoribus publicis ſe explorandum commiſiſſet, pro ſummis in vtroque iure honoribus publice diſputauit. Inde cum in patriam eſſet reuerſus, ad cauſas in foro agendas ſe accinxit, annoque 1696 d. 3 Febr. in numerum Aduocatorum ordinariorum Archi-Dicaſterii a Regimine Regio fuit receptus. Interiecto autem breui tempore in Senatum patrium aſſumtus eſt, demandato ipſi menſe Auguſto eiusdem anni 1696 Syndici Verdenſis officio. Anno 1707 cum Ver-

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

denſis ciuitas primum admitteretur ad exercitium iuris vocandi & praeſentandi Aſſeſſorem Curiae Provincialis, ipſe primus fuit, cui munia haec menſe Iulio ſunt delata. Tandem Conſiliarii Iuſtitiae ſpartam obtinuit an. 1710 d. 12 Decembr., ſubſtitutus in locum Iod. Hackmanni (de quo ſupra ſuo loco) qui paulo ante deceſſit.

Scripta.

Experimentum Conciliationis Εναντιοφανῶν *in Deciſionibus Meuianis, quod in locum Diſputationis Inauguralis Praeſide Nic. Chriſtoph. Lynckero publicae diſquiſitioni tradidit.* Ien. 1694. 4. pl. 6½. Diſputatio haec, quae *docta, arguta & vtilis opera* vocatur in Catal. Script. quae Lynckerianum nomen praeferunt vel ad iſtud pertinent Ien. 1696. 4. impreſſo pag. 96, oppoſita eſt *Ott. Phil. Zaunſchliſſeri* ICti & Anteceſſoris Marpurgenſis *Specimini Antinomiarum ex Deciſionibus Meuianis, ad Lydium lapidem reuocatarum*, quod prodiit Marburgi 1688. 4., in quo ille XLIII Variationes in Deciſionibus Meuianis obſeruatas exhibet, quas noſter in hoc *Experimento* ſtuduit conciliare. Quod cum innoteſceret Zaunſchliſſero, *Commentario* ſuo *ad Meuii Deciſiones Viſmarienſes* Marburgi Cattor. 1696. 4. edito non ſolum adiunxit *Specimen* illud *Antinomiarum cum additionibus inſertis ac ſupplemento ſeptem aliarum variationum*, ſed etiam Noſtri *Experimentum* integrum adiecit, *Stricturis* additis, quas *breues vindicias diſcurſus ſui* ipſe vocat in praefat. Specim. Antinom. praemiſſa. Hac occaſione data, prodiit viciſſim ab Auctore noſtro

Conciliatio Deciſionum Meuianarum apparenter contrariarum, ſiue Εναντιοφανῶν *in Deciſionibus Meuianis Summi Tribunalis Wismarienſis continuata. Vna cum* **Indice duplici quaeſtionum & rerum.** *Cui additum eſt Magnifici Dn. Ottonis Philippi Zaunſchliſſeri ICti & Anteceſſoris Marpurgenſis famigeratiſſimi* **Schema** *oppoſitarum Deciſionum, nunc inter alia quoad nouas 28 Variationes auctum. Acceſſit denique* **Ordo Deciſionum Meuianarum** *inter eosdem & in eadem cauſa ſucceſſiue dictarum: nec non* **Catalogus Cauſarum**, *quae in Deciſionibus illis nominatae, occaſione quarum Deciſiones illae dictae ſunt.* Hamburgi. 1699. 4. Alph. 2. pl. 10. Hoc in libro *Stricturae Zaunſchliſſerianae* diluuntur. De reliquis eius contentis docebunt, praeter titulum

Digitized by Google

titulum ipſum, Act. Er. Lipſ. 1699. pag. 272 ſq. Ceterum operam hanc Illuſtris Lynckerus in litteris ad Noſtrum d. 12 April. 1703. datis, quas oculis vſurpaui, hoc iudicio dignatus eſt: Die rühmliche Arbeit / ſo mein Hochgeehrter Herr über den Meuium ferner der Welt gegönnet / hat jederman ſonderlich vergnüget / und iſt dieſes Vorhaben ſehr wohl gerahten.

Syntagma Iuris Publici, ſi Deus annuet & temporis nonnihil a multis officii negotiis reſiduum erit, cum erudito orbe communicare in animo habet, & quidem ductu Sciagraphiae Illuſtr. *Lynckeri*, ita vt (1) *Praecognita* (2) *Cognoſcenda* Iuris publici pertractentur. Praecognita abſoluuntur Adminiculis Iuris publici, vt pote 1. *Compendio Hiſtoriae Vniuerſalis* ad methodum IV Monarchiarum, vbi poſt quamlibet Monarchiam breui ſerie recenſitam *memorabilia tum ſacra, tum profana* enumerantur, deinde *Iudicium de Auctoribus* & *Catalogus Hiſtoricorum ac Scriptorum, Imperantium* & *Rerum Memorabilium Europae aliarumque Ditionum in Aſia, Africa & America* ordine Alphabetico ſubnectitur. 2. *Chronologiae* Principiis & Enumeratione optimorum Auctorum. 3. *Politica* huiusque Scriptoribus, vbi etiam 4. de *Ratione Status*. 5. *Geographia* & quidem vniuerſali, in ſpecie vero Veteris & nouae Germaniae, vna cum Auctoribus, vbi praeterea *decem Circulorum* diſtrictus & contenta reperiuntur. 6. *Principiis Genealogiae* huiusque probatiſſimis Auctoribus, & denique 7. *Heraldicae Artis Compendio*, vna cum Scriptoribus artis illius. Et haec conficiunt Librum primum. Ipſum vero Ius Publicum Lib. II. inſequitur, cui praemittuntur Cap. I. *Scriptores Iuris Publici*, qui tum in genere & coniunctim Rerumpublicarum, tum in ſpecie integrarum gentium iura deſcripſerunt, ordine Alphabetico. Cap. II. *Scriptores & Collectores Iuris Publici Romano-Germanici*. Cap. III. *Auctores nonnulli ſpecialium materiarum Iuris Publici*, ordine Alphabetico recenſiti. In elaborando hoc vtiliſſimo opere Auctor iam ad materiam de Circulis Imperii peruenit. Quod vt ad publicum emolumentum & explendam orbis eruditi exſpectationem ex voto ſuo perficiat, conſtantem ipſi virium animi corporisque integritatem apprecamur.

Digitized by Google

Dauid SCHELHAMMER *SS. Theol. Studioſus.*

Patre *Dauide* SCHELHAMMER apud Hamburgenſes quondam Bibliothecario natus eſt Hamburgi an. 1682. Iactis in Gymnaſio noſtro literarum humaniorum fundamentis, an. 1706 Wittenbergam & poſt biennium Gryphisvvaldiam adiit, vbi an. 1709 *Ieremiae Papken Partem primam Diſſertationis Phyſico-Opticae de Vitio* Μυωπίας καὶ τοῦ πρεσβυτικοῦ πάθους & anno ſubſequente *Brand. Henr. Gebbardi de Chiliasmo Peterſeniano Disquiſitionem ſecundam, in qua Hebr. II. 5. Eſ. XLIX. 24. II. 11. 12. Apoc. XI. 11. 12. Eſ. XXVI. 14. 19. Dan. XII. 2. 13. 1. Cor. XV. 23. 24. Luc. XX. 34. 35. 36. vindicantur* publicae disquiſitioni ſubmiſit.

M. Ioannes SCHNEDERMANN *ad DD. Coſmae & Damiani Paſtor.*

In lucem editus eſt Bremae anno 1665 d. 29 Octobr. parentibus, quorum ſatis antiqua nec ignobilis eſt illic proſapia. Pater fuit *Daniel* SCHNEDERMANN V. I. D. & publicus in foro patrio clientum patronus; mater vero *Lucia* NAGEL. Literis humanioribus in ſchola pariter atque Gymnaſio patrio a *Kippingio*, *Oelrichio*, *Willemero*, *Franckio* & *Harmaccio* imbutus eſt. Anno 1686 florentisſimam Academiam Lipſienſem ſalutauit, vbi *Felleri*, *Schmidii*, *Cypriani*, *Pfautzii*, *Menckenii*, *Seeligmanni*, *Riuini*, *Olearii*, *Pfeifferi*, *Ittigii* & *Carpzouii*, virorum ſummorum, conſtans per aliquot annos fuit auditor. An. 1688. cum Io. Bened. Carpzouius *Friderici Rappolti Theologiam Ioannis Aphoriſticam* euulgaret, & publice ventilandam proponeret, Reſpondentis aeque ac Opponentis munus aliquoties ſuſtinuit. Philoſophiae Magiſter creatus eſt anno 1689, praemisſis examini publico *Theſibus de Amicitia*, quas Praeſes defendit. Lipſia abiit an. 1690, & paucis annis interiectis Serenisſimae Duci Holſatiae SOPHIAE CATHARINAE, Viduae Comitis Oldenburgenſis a concionibus aulicis eſſe iuſſus eſt, cuius officii an. 1693. Dom. X. p. Trinit. initium fecit. Inde ad Paſtoratum Eccleſiae inuariatae A. C. addictae, quae Leerae Friſiorum Orientalium ab A. 1675 fuit, translatus, ſermonem ſolennem dixit Calendis Ianuariis.

Stadam

Stadam peruenit an. 1700, electus Paſtor ad DD. Coſmae & Damiani, quae munia obiturus Act. XX. 28 quarto ante F. Pentecoſtes die coetui ſacro explanauit.

Condidit carmine Elegiaco

Summarum ſummae Ducis virtutum Monumentum CHRISTINAE CHARLOTTAE Ducis Würtenbergiae & Tecciae, Comitis Mompelgardiae & Heidenheimii, Principis viduae Friſiae Orientalis in itinere ad fontes Schwalbachianos Brockhuſii An. 1699 d. 16. Maii, per beatam mortem in verum patriam euocatae. Bremae. 1699. fol. pl. 2½.

Gothofredus Ioachimus SCHROEDER *I. V. Candidatus.*

Luneburgenſis, anno 1678 lucem adſpexit. Scholae patriae Ioanneae claſſes omnes poſtquam permeauit, & deinde per tres annos priuatorum praeceptorum induſtria fuit eruditus, Kilonium an. 1701 acceſſit. Commoratus ibi annum cum dimidio Ienam profectus eſt, bienniоque praeterlapſo Helmeſtadium ſe contulit, & inde poſt ſex menſes, confecto ſtudiorum curſu, an. 1705 in patriam reuertit. Interiecto breui tempore Vir generoſus Adolphus Fridericus de Düring, Conſiliarius, dum viueret, Regiminis Regii per Ducatus Brem. & Verd. filios ſuos ipſi commiſit, quos cum per duos fere annos erudiuiſſet, aliis quibusdam nobilibus iuuenibus fuit praefectus, quorum ſtudia hodieque apud nos moderatur.

Diedericus von STADE *in Ducatibus Bremenſi & Verdenſi Archiuarius.*

Natus eſt Stadae an. 1637 d. 13 Octobr. patre *Nicolao von* STADE mercatore, quem praemature amiſit an. 1645, matre *Catharina*, *Iuſti* SCHUMACHERI, mercatoris itidem Stadenſis, filia. Puer annorum fere decem in ſcholam patriam miſſus, ſed mox ab eadem retractus fuit, quod mater eum mercaturae deſtinauerat, & in Hiſpaniam ablegare conſtituerat. Perſpecto autem pueri ingenio, & amore, quo in literas magis, quam in mercaturam ferebatur, reditum ipſi ad Muſas mater haud denegauit. Quarto igitur & decimo aetatis anno ad ſcholam rediit, quum interiecto tempore

Digitized by Google

Arithmeticam exacte didiciſſet, eaque arte ingenium, quod per ſe aptum erat, magis acuiſſet. Tum vero talem ſe probauit praeceptoribus, vt loco altiore ſubinde dignus habitus fuerit, nec multo tempore per omnes fere claſſes iuerit. Praeceptores ſuos grata mente celebrat *Henr. Büſcherum*, quintae claſsis praefectum, Grammaticae artis doctorem longo vſu peritisſimum; nec non *Zachariam Höpfnerum*, quartae claſsis magiſtrum, Graece in primis doctisſimum: a quibus ſolide inſtitutus ad ſuperiores Gymnaſii coetus tranſiit, & ductu *Ioannis Philippi Tonſoris*, Rectoris, & *Friderici Ruſii*, Conrectoris, nauiter profecit. Anno 1658 poſt ferias Paſchales in Academiam Helmeſtadienſem ſe contulit & in tertium annum eodem in loco commoratus eſt. Theologos ibi audiuit *Gerhardum Titium* & *Ioachimum Hildebrandum*, viros celeberrimos. Juris ſcientiam eum docuerunt *Io. Binnius* & *Enoch Glaſerus*: Hiſtorias *Chriſtophorus Eberhardi*. Magni quoque *Conringii* ſcholis ſedulus interfuit, in *Macchiauelli Principem* commentantis, vt cetera praeteream. Relicta Alma Iulia, cum Hamburgi aliquantulum ſubſtitiſſet, an. 1661 Sueciam adiit, allectus crebris literis cuiusdam Caſparis Vſingii, popularis ſui & olim commilitonis, qui tunc Vpſaliae degebat; nec minus hortatu Nicolai, fratris natu maioris, qui Holmiae in Cancellaria Regia miniſterio fungebatur. Igitur Vpſaliam ſtatim profectus eſt, quam eo tempore praeter alios clarisſimos Profeſſores *Ioannes Loccenius*, *Ioannes Schefferus* & *Olaus Rudbeckius*, viri excellentisſimi, illuſtrabant. Hos doctores nactus mirum in modum doctrina creuit, praeſertim, quod Scheffero hoſpite vteretur, qui eum *Suantoni Bannerio*, Baroni & Senatori Regio, enixe commendauit. Itaque noſter an. 1662 Holmiam ad Bannerium abiit, a quo non tantum literis ſecretioribus ſcribendis, ſed filio etiam Guſtauo Carolo inſtituendo praefectus eſt. Cum perilluſtri hoc iuuene an. 1667 Vpſaliam rediit: quo tempore inſtauratum nobile illud Collegium Antiquitatum, *Olao Verelio* primo huius ſtudii Profeſſore. Holmiae in notitiam venerat *Georgii Stiernhielmii*, Profeſſoris primum Dorpatenſis, deinceps Conſiliarii bellici. Atque ex hoc commercio cum viris linguarum Septemtrionalium peritisſimis nata ipſi occaſio pariter ac cupido eſt, in linguam antiquam Germanicam, cuius magna eſt cum Septemtrionalibus cognatio, curioſius inqui-

inquirendi, a quo labore etiam nunc ſenex animum manumque nondum retraxit. Anno 1668 d. 2. Jun. per literas CAROLI XI. glorioſiſſimae memoriae Regis Sueciae, conſtitutus eſt Secretarius Conſiſtorii Regii per Ducatus Bremae & Verdae, quae munia in patriam redux ſtatim in ſe ſuſcepit, iisdemque ad ingraueſcentem vſque aetatem magna cum dexteritate functus eſt, donec menſe Julio huius anni Archiuarii per eosdem Ducatus munus obtinuit, pater feliciſſimus IV filiorum, quos omnes raro exemplo honoribus ac coniugiis beatos, & filiam honeſtisſime elocatam ſuperſtes videt.

Scripta.

Interpretatio Latina Fragmenti veteris Linguae Francicae, quo Colloquium Chriſti cum Samaritana exhibetur, quod Lambecius Commentar. de Biblioth. Vindob. L. II. pag. 383 primus protulit, deinceps Io. Philip. Palthenius ſuo Tatiani Harmoniae Euangeliorum & Fragmenti Iſidori Hiſpalenſis Interpreti Francico Gryphisvv. 1706. 4. edito cum hac interpretatione ſubiunxit.

Specimen Lectionum antiquarum Francicarum ex Otfridi Monachi Wizanburgenſis Libris Euangeliorum atque aliis Eccleſiae Chriſtianae Germanicae veteris monumentis antiquisſimis collectum, cum interpretatione Latina. Propraemetio integri Voluminis Euangeliorum Otfridi, cuius editio, ſublatis innumeris ſphalmatibus editionis Flacianae, non ſolum cum ſupplementis, ab Ill. Lambecio publicatis; ſed etiam aliis, ab eodem non animaduerſis, ac inde omiſſis, ope Codicis authentici Auguſtisſimae Caeſareae Vindobonenſis Bibliothecae, nec non Gloſſario vocum obſcuriorum in toto opere, ſummo Numine benigne annuente, paratur. Ad exploranda eruditorum, praecipue Philoteutonum, iudicia & modeſte proticienda monita. Stadae. 1708. 4. mai. pl. 8½. Vid. Nou. Liter. German. 1709. m. Mart. pag. 105 ſq. Ausführl. Bericht von neuen Büchern VI St. pag. 595 — 603. Iourn. des Savans 1710. m. Mart. pag. 254 — 259.

Otfridus integer (ſi Deus vitam & facultatem ſeni doctisſimo & harum literarum ſtudioſiſſimo concesserit) propediem ab eo lucem videbit. Textum prelo iam paratum habet, daturus eum cum emendationibus & lacunarum ſupplementis *Io. Philip. Schmidii*, Argentoratenſis, antehac Conſiliarii Leiningo-Weſterburgenſis, viri in hoc literarum genere verſatisſimi, quem

quem Schilterus quoque olim ad idem negotium adhibuit, quod patet ex Epiſtolis Io. Schilteri & Io. Mabillonii, praefixis Ἐπινικίῳ, *Rhythmo Teutonico Ludouico Regi acclamato, cum Nortmannos An. DCCCLXXXIII viciſſet, quod ex cod. MS. Monaſterii Elnonenſis ſiue S. Amandi in Belgio per Io. Mabillon deſcriptum, interpretatione Latina & commentatione hiſtorica illuſtrauit Io. Schilter ac edidit Argent.* 1696. 4. pag. 6 ſq. Ab hoc Schmidio plus quam 3000 verba ex Cod. Viennenſi MS, quem oculis ſuis Viennae vſurpauit, vel emendata, vel ſuppleta, Lambeciana etiam ſupplementa tum quod ad voces, tum quod ad accentus correcta ſunt. Forſan etiam adornabit ſenex noſter nouam textus interpretationem. *Grammatica Francica*, huic operi praefigenda, iam eſt ad finem perducta. Nunc totus in *Gloſſario* quoque perficiendo occupatur, cuius laboris haud exiguam partem iam exantlauit.

Vorrede vor dem Stadiſchen Kirchen-Buch. Stade. 1710. 8. in qua de Sacris in lingua vulgari ad maiorem aedificationem totius Eccleſiae & plebis adminiſtrandis agit.

Kurtze/ richtige Erläuter- und Erklärung etlicher deutſchen Wörter/ deren ſich der theure Mann GOttes/ Doct. Martin. Luther, ſel. Gedächtniß/ in Überſetzung der Bibel in die deutſche Sprache/ gebrauchet/ von welchen einige allen und jeden entweder an ſich ſelbſt/ oder dem Gebrauche/ wie auch dem Urſprunge nach/ nicht gnug bekannt ſeyn mögen. Den Deutſchen zu Liebe deutſch geſchrieben. Stade. 1711. 8. Libello huic vtiliſſimo, qui prelo mox liberabitur, praemiſit elegantiſſimam Praefationem, in qua praeter alia de ſubſidiis, quibus ad conficiendum hunc libellum vſus eſt, lectu quaedam digna tradit, ſcilicet *de variis Bibliis* pag. 12 ſqq: *de Codice Argenteo IV Euangeliorum Vlſilae vulgo attributo* pag. 14 ſqq: *de Gloſſis Keronis* pag. 16 ſqq: *de Gloſſis MSS. HRabani Mauri* pag. 18 ſq: *de Corn. Kiliani Etymologico Teutonicae Linguae* pag. 19 ſq: *de Paraeneticis Veteribus a Goldaſto editis* pag. 20 ſq: *de Willerami Abbatis in Canticum Canticorum Paraphraſi* pag. 22. &c.

Ad prelum quoque parauit Gründliche Erforſchung des deutſchen Verſetzungs-Wörtleins UR/ OR/ UHR/ welches im Anfange vieler Wörter ſo woll in jetziger Deutſchen/ als AltFränckiſchen/ und anderen

Digitized by Google

anderen Mitternächtigen Sprachen gefunden wird. Zu weiterm Nachdencken wollmeinend vorgeſtellet. Wo noch beygefüget eine kurtze Erläuterung einiger in unſern Evangeliſchen Kirchen-Geſängen vorkommenden Wörter/ und ein Stück der alten Fränckiſchen Hiſtorie / ſampt den Eyden / welche der König Ludvvig und ſein Bruder Carolus Caluus, König in Franckreich / wie auch ihrer beyder Lehn-Leute und Kriegs-Heer öffentlich bey Straßburg abgeſtattet haben. Iuramenta haec poſt Nithardum, Bodinum, Fauchetum, Freherum, Lehmannum noſter diuturno linguae Francicae vſu adiutus dabit emendatiora.

Tranſtulit praeterea ex Suecica in Germanicam linguam *Magni Gabrielis Blockii*, D., Medici Prouincialis Oſtro-Gothiae librum contra diuinationes, qui prodiit Lincopiae 1708. 4. (vid. Nou. Lit. Germ. 1709. m. April. pag. 169 ſqq. vbi ſcripti huius contenta, & de eius, quantum attinet Paracelſum inibi caſtigatum, aduerſario *Vrbano Hierne*) hoc titulo: Atſkillige Anmärkningar öfwer theſſa Tiders falſke Aſtrologiſka / Phantaſtiſka / och Enthuſiaſtiſka Prognoſtiker / Spådemar / och Prophetier / betråffande menniſkjans Wäſende och Wandel i gemen; men i ſynnerhet Religions- och Statz-Saker / förnemligaſt i the Nordiſka Länder. i. e. Verſchiedene Anmerckungen über gegenwärtiger Zeiten falſche Aſtrologiſche / Phantaſtiſche und Enthuſiaſtiſche Prognoſtica; Wahrſagereyen und Prophezeyungen / des Menſchen Weſen und Wandel in gemein / inſonderheit aber Religions- und Staats-Sachen / vornehmlich in dieſen Nordiſchen Ländern betreffend / imgleichen die 2te Zukunfft Chriſti / wie auch das letzte Ende der Welt. Stade. 1711. 8 mai.

Symbolae Stadianae in Theatro Placciano non ſunt huius *Diederici*, ſed *Ioannis Friderici* von STADE, eius filii, Paſtoris Rothenburgenſis meritiſſimi.

Diedericus von STADE *Secretarius Status in Ducatibus Brem. ac Verd. vt & Directorialis Circuli Saxoniae Inferioris Secretarius.*

Patre *Diederico* von STADE, cuius vitam & ſcripta modo dedimus, ac matre *Eliſabetha Gertrudi*, filia *Georgii* KELLERS, Secretarii Status

in hiſce Ducatibus, editus eſt in lucem Stadae anno 1674 d. 8 Februarii. Gymnaſii patrii ciuibus adſcriptus, ſtudiorum humaniorum litterarumque elegantiorum auſpiciis *Ioan. Harem. Mulleri*, Rectoris fundamenta poſuit, hancque bonarum mentium officinam an. 1690 valere iuſſurus, in concione virorum ſpectatisſimorum ornate dixit *de Teſſereccenſium, Archiepiſcopatu Salisburgenſi ob Religionem exulum, Cauſa & Fato.* Ienam poſtmodum ſe contulit, ibidemque Iurisprudentiae publicae ac priuatae, Hiſtoriae, Genealogiae aliisque ſibi proficuis ſtudiis ſtrenuam operam impendit. Doctoribus vſus eſt viris celebratisſimis *Schubarto, Friſio, Hartungio* &, quem principe loco nominare debuiſſem, Illuſtr. *Lynckero*, exquiſitisſima iuris ſcientia id dudum aſſecuto, vt pauci ſint inter legum cultores, qui hunc virum ignorent. Studiorum Academicorum ſpatia emenſus, Belgium peragrauit, atque inde in Angliam perrexit, viſisque praeter metropolim Magnae Britanniae & Oxonium, ſedem Muſarum, prouinciis nonnullis, in Sueciam profectus eſt, iisque interfuit, quos ſecum eo duxit Illuſtrisſimus Comes Guſtauus Mauritius de Levvenhaupt, cui ad finem vſque anni 1699 fuit a Secretis. Etenim anno hoc ad exitum vergente, Illuſtrisſimus Comes Nicolaus Gyldenſtern, Ducatuum horum tum Gubernator Generalis, Secretarii ſui munus ipſum obire voluit, cuius curis & negotiis publicis cum domi tum in caſtris, nempe an. 1700 in Holſatica & 1702 in Polonica expeditione ſedulam operam nauauit. Sub initium anni 1704 a Sacra Regia Maieſtate Archiuo Ducatuum Brem. ac Verd. praefectus eſt, annoque 1705 exeunte Secretarius Status ſiue Gubernamenti Generalis horum Ducatuum intimus, vt & Secretarius Directorialis Circuli Saxoniae Inferioris mandato & diplomate Regio conſtitutus.

Eberhardus Henricus von STADE,

Diederici von STADE ſen. filius, Stadae an. 1681 lucem adſpexit. Gymnaſium patrium, in quo *Tob. Eckhardum* & *Henr. Gottl. Schneiderum* doctores habuit, an. 1702 cum Academia Fridericiana permutauit, vbi *Strykii* vtriusque, *Thomaſii* & *Bodini* biennii fere ſpatio fuit auditor. Inde per Saxoniam & Bohemiam Viennam profectus eſt, atque hinc per Francoſurtum ad Viadrum an. 1704 Gryphisvvaldiam venit, vbi *Mascouium, Caroſium* & *Palthenium* (ſub cuius praeſidio *Diſſerta-*

ſertationem Politicam de Dethroniſatione publice diſquirendam exhibuit. Conf. Nou. Lit. Mar. Balth. 1704. p. 268) docentes audiuit. Domum reuerſus praxi operam nauauit, Aduocatis Regiorum Dicaſteriorum an. 1705 accenſitus. Anno ſubſequente electus eſt Procurator ciuium, annoque 1708 ſucceſſit auunculo ſuo Henr. Rudolpho Kellero, Secretario.

Ieremias STEYR *Archi-Dicaſterii Regii in Ducatibus Brem. ac Verd. Aduocatus.*

Leſnae in Polonia Maiori natus eſt an. 1681 d. 6 Februarii. Patre *Antonio* STEYR, ciue Leſnenſi, defuncto, Stadam ab auunculo, Viro Illuſtri atque Generoſo Samuele Chriſtophori von Liſſenhaim, Regiminis Regii Conſiliario (qui hactenus parentis loco ipſi fuit) acceritus atque inſtitutioni *Eckhardi* & *Schneideri* in Gymnaſio noſtro tum temporis docentium, commiſſus eſt. An. 1699 Gymnaſium, quod eſt Hamburgi (vbi tunc temporis praedictus eius Auunculus Regii Ablegati munere fungens commorabatur) adiit, in quo *Georg. Eliez. Edzardum* & *Io. Alb. Fabricium* doctores habuit. Inde an. 1701 Stadam reuerſus, elementa iuris percipere allaborauit. Anno 1703 ab Auunculo in Academiam Roſtochienſem miſſus eſt, vbi praeter *Ioan. Ioach. Schoepferum*, doctorem ac ductorem ſuum fideliſſimum, alios quoque doctores publicos tam ius quam hiſtoriam tradentes audiuit: *Schaperi* quoque *Collegio Phyſico Experimentali & Curioſo* interfuit. An. 1705 Stadam repetiit annoque ſubſequente ordini Aduocatorum in Iudicio Regio Aulico eſt adſcriptus.

Elaboratam ſuo marte *Diſſertationem Iuridicam de Iure Principis circa Adeſpota* ſub praeſidio *Io. Ioach. Schoepfferi* publicae diſquiſitioni ſubmiſit. Roſtoch. 1705. 4. pl. 6. Contenta huius Diſſertationis habentur in Nou. Lit. Mar. Balth. & Sept. 1705. pag. 293 ſq.

Thomas STOLLEY I.V.D. *Regg. Dicaſter. per Ducatus Brem. atque Verd. Aduocatus.*

Fecit viuendi auſpicia Hamburgi anno 1662 d. 26 Iulii, natus patre *Detleuo* STOLLEY, mercatore, matre *Eliſabetha* EHLERS. Scholas Magdeburgenſem, Ioanneam Hamburgenſem & noſtram Stadenſem cum frequentaſſet, Francofurtum ad Viadrum circa annum

1680 perrexit, vbi tum *Rhetius* & *Strykius* iura docuerunt. Anno hic exacto per Heidelbergam & Norimbergam Altdorfium profectus eſt, vbi *Linckii*, *Hammeri* & *Geigeri* collegiis Iuridicis priuatis & priuatiſſimis nomen dedit. Hinc anno 1684 m. Septemb. Baſileam contendit, ibidemque *Paſſauantii*, *Burckhardi* & *Feſchii* ſcholas Iuridicas priuatiſſimas inuiſit. In eadem hac inclyta Rauracorum Academia anno 1685 d. 27 Octobr. Doctor creatus eſt. Inde per Geneuam abiit in Italiam, ac porro in Galliam, Angliam, Belgium, Brabantiam & Flandriam, annoque 1689 m. Septembr. in patriam reuertit. Hamburgi poſtea per aliquot annos cauſis patrocinatus eſt, donec an. 1699 Aduocatis Regg. Dicaſterior. apud nos adderetur & d. 7 Maii an. 1706 facultatem cauſas in Summo Tribunali Wiſmar. agendi impetraret. Praeferunt nomen eius

Diſputatio de Vſurarum Praerogatiua in Concurſu Creditorum, ex L. Lucius. 18. ff. qui pot. in pignor. Praeſ. *Henr. Lincken.* Altdorf. 1684. 4. pl. 6.

Diſputatio Inauguralis Iuridica de Mora. Baſil. 1685. 4. pl. 3.

V.

Burchardus VFFELMANNVS, *I. V. D. & Ordinis Equeſtris per Ducatus Bremenſem ac Verdenſem Syndicus.*

Patrem habuit *Burchardum* VFFELMANNVM, regnante CHRISTINA Conſiliarium & in curia Verdenſi Praeſidem; matrem vero *Annam* LEMBKEN, quibus natus eſt Verdae anno 1642. d. 1. Aprilis. Fratres ipſi fuerunt viri & officiis in vtraque republ. & meritis atque ſcriptis nobiliſſimi. Primus quidem *Henricus* VFFELMANNVS (qui e vita migrauit an. 1680 & cuius memoriam a maxime reuerendo Georg. Henr. Goetzio, Lubecenſium Antiſtite, exſpectamus, Vid. ipſius Praefat. Elogg. Germanor. quorund. Theologg. praefixa pag.)(5 b. & ex ea Nou. Lit. Germ. 1709. pag. 365.) Moralium quondam in Academia Iulia, poſtea Theologiae in illuſtri Gymnaſio Luneburgenſi Profeſſor, ibidemque ad D. Michaelis Paſtor, inter cuius ingenii monumenta extant *de Iure, quo homo homini in ſermone obligatur*, Tractatus, nec non *Variorum Illuſtrium Conſcientiae Caſuum Faſciculus* Lipſ. & Goſlar. 1709. 4. editus, cui e tenebris emen-

Digitized by Google

emendate protrahendo *Caſp. Henr. Sellius* Eccleſiaſtes atque *Henning. Guil. Hagius* Canonicus inſudarunt, & *Caſpar Caluör Prologum Galeatum, quo oſtenditur Conſcientiae ac Iuris Naturae diuinus ortus ac certitudo*, cum *Introductione* praemiſit. Conf. Act. Er. Lipſ. 1709. pag. 479 ſq. Alter vero *Wernerus Ioannes* VFFELMANNVS (demortuus an. 1690. d. 16 Ian., teſte Celeb. Fabricio Tom. I. Memor. Hamburg. pag. 490) Senatoris ac Praetoris munia Hamburgi geſſit & *Lectiones Rittershuſianas ſeu Obſeruationes ad Rittershuſii, ICti celeberrimi, Tractatum de Differentiis Iuris Ciuilis & Canonici* Gieſſae, 1663. 4. pl. 15½ luci publicae commiſit atque pro ſummis in vtroque iure honoribus conſequendis d. 24 Septembr. defendit. Errat itaque Koenigius, quando in Biblioth. pag. 841 Lectiones Rittershuſianas BVRCHARDO noſtro adſcribit. Scholae patriae ciuibus ab anno 1650 vsque ad 1658 noſter interfuit ac praeter alios *Solterum* Rectorem & *Neubauerum* Conrectorem fideles ſtudiorum moderatores nactus eſt. Maiores deinceps in litteris progreſſus fecit in noſtra Stadana, cui an. 1658 nomen dedit, facem praeferentibus *Io. Phil. Tonſore* Rectore & *Frid. Ruſio* Conrectore. Inde, elapſo biennio, anno 1660 in Almam Ludouicianam ſe contulit, & *Eidenio* ac *Tabori* ſe addixit, quorum ſcholae celebres tunc ac frequentes fuerunt. Gieſſa an. 1661. in Academiam Iuliam diſceſſit, vbi per tres annos *Wernerus, Glaſerus* & *Hahnius* ſtudia eius auxerunt. Quorum abſoluendorum cauſa anno 1664 Gieſſam repetiit, & *Tabori*, Cancellario ac Profeſſori primario, denuo induſtriam ſuam probauit. Finem itaque ſtudiis Academicis an. 1666 impoſuit, & ad ſuos rediit, ornatus a iuris doctoribus publicis inclytae Ludouicianae egregio teſtimonio, in quo *Obſeruationum in Vantium de Nullitatibus* ab ipſo edendarum mentio quoque iniicitur. Anno 1670 ſummis in vtroque iure honoribus eadem Academia Gieſſenſis illum decorauit, habita ſine Praeſide d. 14 April. Inaugurali Diſputatione. Cauſas deinde per plures annos cum in foro egiſſet, ſpartam Syndici Ordinis Equeſtris per Ducatus Bremenſem ac Verdenſem anno 1686 nactus eſt, & ab eo tempore reipublicae nauiter inſeruit.

Scripta.

Specimen Iurisprudentiae Analyticae ad intellectum L. Si quis. 16. C. de Reſcindend. Vendit. directum, quo implacabilis hactenus viſa Dd. diſſen-

diſſenſio circa retractationem ſ. reſciſſionem adiudicationis aut ſubhaſtationis iudicialis facile componitur. Acceſſit Reſponſum Iuris in eadem cauſa ſcriptum. Gieſſae. 1666. 4. pl. 6. Praeſ. *Io. Ott. Tabore.*

Diſputatio Inauguralis Iuridica de Gratiis Expectatiuis von Anwarthſchafften. Gieſſae. 1670. 4. pl. 8½.

Sebaſt. Vantii Tractatum de Nullitatibus Proceſſuum ac Sententiarum Obſeruationibus illuſtratum (quemadmodum ſupra ex teſtimonio Facult. Iurid. Gieſſenſis, quod legere contigit, iam indicaui) edere diu in animo habuit, nec exiguam partem huius laboris (quod αὐτόπτης teſtor) abſoluit.

Herman. Io. Chriſtian. ab VFFELN *Dominus & Iudex hereditarius in Wiſche & Brobergen, S. R. M. Suec. in Duc. Brem. & Verdenſi Conſiliarius Iuſtitiae ac Conſiſtorii, nec non Archi-Dicaſterii Aſſeſſor.*

Verdae an. 1671. d. 29. Octobr. editus eſt in lucem, patre *Burchardo* VFFELMANNO, quo de modo egimus, matre vero *Dorothea Sophia, Erneſti* AHLEWINII, Senatoris Vltzenſis, filia. Iactis priuatorum praeceptorum ductu in prima aetate literarum fundamentis, deinceps, quum paterna familia ex antiqua illa Epiſcoporum Verdenſium ſede Stadam transferretur, in Gymnaſium noſtrum ſe contulit, vt in publico aemulantium coetu tanto alacrius ad metam decurreret. Profecit ibi ex doctrina *Io. Hartm. Muleri* Rectoris & *Io. Ern. Büttneri* Conrectoris, qui id ſtrenue operam dederunt, vt eum aliquando ſatis exaſciatum doctoribus Academicis poſſent committere. Nec defuit tamen ipſi, praeter hanc publicam, priuata inſtitutio *Chriſtiani Troyelii*, poſtea Protonotarii in Summo Tribunali Wismarienſi, qui ſcientiae ciuilis, hiſtoriae ac rerum forenſium cognitione eum imbuere allaborauit. Quo factum, vt exoptatos in litterarum ſtudiis fecerit progreſſus, nec dubitauerit, aetatis anno duodeuiceſimo in publicum prodire, atque profectuum ſpecimen exhibere. Aditurus enim Academiam Ienenſem an. 1689 menſ.

Digitized by Google

menſ. Aug., in ſplendida corona virorum ſpectatisſimorum, non ſine laude dixit *de ruptis a Gallorum Rege Induciis.* Almae poſtea Salanae ciuis doctoribus, qui in ea tum temporis ad Ius tam publicum, quam priuatum, tam ſacrum quam ciuile facem praetulerunt, *Georg.* ſcilicet *Adamo Struuio, Nicol. Chriſtoph. Lynckero* & *Petr. Müllero* quam diligentisſime ſe addixit. Probe quoque gnarus, quam neceſſaria ſit ICto rerum hiſtoricarum & philoſophicarum cognitio, in illis perdiſcendis *Caſp. Sagittarium*, in his *Ioan. Chriſtoph. Hartungium* (quem praeterea quoque Inſtitutiones & Digeſtorum libros breuiter interpretantem audiuit) duces ſibi elegit. Ad ſuos antequam reuertit, laboris in ſtudiis literarum exantlati βραβεῖον accepit ſummos in vtroque iure honores. Stadae noſtrae redditus, praxin forenſem exercuit, conſtitutus an. 1696 Dicaſteriorum Regiorum, quae apud nos ſunt, & anno 1698 ſummi Tribunalis Wismarienſis Aduocatus ordinarius. Verum hoc cauſarum patroni munus aliquot duntaxat annis gesſit, quum ad altiora mox eueheretur. Anno enim 1701 Rex noſter clementisſimus munia Conſiliarii Iuſtitiae & Archi-Dicaſterii Regii Aſſesſoris clementisſime ipſi demandauit. Quo officio cum per aliquot annos laudabiliter functus eſſet, dignus habitus eſt, qui noua Regis gratia frueretur. Anno enim 1707 a Regia Maieſtate in ordinem Nobilium fuit relatus, omnibusque iis iuribus ac priuilegiis donatus, quibus iſti gaudere poſſunt, qui nobili genere naſcuntur. Dedit quoque ipſi inſignia ac conceſſit, vt ipſe omnesque eius poſteri cognomine *von Vſſeln* vterentur. Conf. Luneb. Mushardi Monumenta Nobilitat. Antiq. Famil. illuſtr. in primis Ordin. Equeſtr. in Ducat. Brem. & Verdenſ. pag. 524 ſqq. vbi non ſolum inſignia extant, ſed etiam Diploma CAROLI XII, potentisſimi Suedorum Regis, datum Alt-Ranſtadii prope Lipſiam anno 1707 d. 21 Junii atque ex Suecica in Germanicam linguam translatum, quod a nobis dicta confirmat. Matriculae Nobilium in Ducatu Brem. & Verdenſi, comparatis ſibi praediis equeſtribus, inſcriptus eſt anno 1708 in Basdalienſi conuentu. Conſiſtorii Regii Aſſeſſor in defuncti Hackmanni locum deſignatus eſt A. 1710. m. Decembri.

Prodiit eius *Diſputatio Inauguralis de Citatione Subſidiali* Ien. 1693. 4. pl. 8. quam Praeſide *Pet. Müllero* anno aetatis viceſimo ſecundo publico eruditorum examini ſubmiſit. W.

Digitized by Google

W.

Conradus WAGNER *Conſiſtorii Regii per Ducatus Brem. ac Verd., quod Stadae eſt, Conſiliarius, Ducatus ac ciuitatis Verd. Superintendens & S. Aedis Cathedralis Paſtor primarius.*

Suſceptus in lucem eſt Bremae anno 1665 d. 26 Decembris. Pater fuit *Philippus* WAGNER, Paſtoris munere Bremae in Aede Regia Cathedrali functus; mater *Anna*, *Iacobi* SCHMIDT, negotiatoris quondam Ritzebüttelenſis, filia: auus M. *Conradus* WAGNER Paſtor Sillenſtedenſis in terra Ieuerenſi; proauus autem M. *Ioannes* WAGNER Superintendens quondam Brunſuicenſis. Litteris imbui coepit in ſchola Regia Cathedrali Bremenſi, per cuius ordines omnes gradatim perrexit. Hinc cum an. 1679 parentes in ſcholam Michaelitanam Luneburgenſem amandarunt, eam praeſertim ob cauſam, vt *Ioannem Bunonem* imaginum artificio hiſtoriam docentem audiret, eiusque domeſtica conſuetudine vteretur. Inde redux in patriam, iis adſcriptus eſt, qui in Athenaeo Regio ſcientiis liberalibus operam tum nauarunt. Iactis itaque & ſtabilitis literarum fundamentis, quum animus ipſius ad maiora anniteretur, anno 1684 verno tempore florentiſſimam Philuream ſedem ſuam & ſtudiorum magiſtram elegit. Quo in celeberrimo literarum emporio cum per ſex ſaltem menſes mercaturam feciſſet, Wittenbergam ſe contulit, perque biennium ciuibus eius interfuit. Doctores ibi nactus eſt Theologos ſummos *Caloiuum*, *Quenſtedium*, *Deutſchmannum*, *Waltherum* & *Mayerum*, Gryphisvvaldenſium hodie Praeſulem ſumme venerandum. In cognoſcendis rebus antiquitus geſtis *Schurzfleiſchius* & *Neumannus* adiutores ſe ei praebuerunt. Quae autem ad literaturam Hebraicam pertinent, a *Daſſouio* fuit edoctus. Taceo ordini Philoſophorum adſcriptos, quorum opera vſus eſt in percipiendis ſapientiae praeceptis. An. 1686 tempore autumnali patriam domeſticorum negotiorum expediendorum cauſa repetiit, eo quidem animo, vt

Digitized by Google

vt ineunte vere aliam Academiam adiret, & in publica diſputantium palaeſtra decertaret. Verum mutauit conſilium, cum non ſolum ſuaderent amici, ſed etiam aliae rationes poſtularent. Exactis igitur in patria quatuor annis, opinione citius munia ſacra ipſi ſunt collata. Etenim an. 1690 m. Auguſto Illuſtriſſimus Baro Mauritius Vellingk, hodie Ducatibus Brem. ac Verd. ſummo cum imperio praefectus, copiarum ſuarum Paſtorem primarium eum deſignauit. Vocatus ad hoc officium, Conſiſtorio Regio Stadenſi mox tentandum ſe permiſit &, habita concione auſpicali, ordinatus a Magnif. D. Diecmanno, Ducatuum Brem. ac Verd. Superintendente Generali longe meritiſſimo, ſtatim die ſubſequenti cum Domino ſuo eiusque cohorte ad Rhenum profectus eſt, quorſum tunc legiones quaedam Suedicae auxilii cauſa mittebantur. Confecto autem breui hoc itinere trium menſium ſpatio, Stadam, cui copiae Vellingianae praeſidium denuo imponebantur, reuerſus eſt & exiguo interiecto tempore cum hoc officio aliud coniunxit, denominatus a Tribuni Legato de Gyldengranat, qui illis eſſet a ſacris, quorum in tractandis machinis & tormentis bellicis opera verſatur. Anno 1693 cum Matthaeus Kippius, Conſiſtorii Aſſeſſor & ad D. Mariae Paſtor primarius ad obeundas rite partes ſuas eum adiutorem expetiuiſſet, a Rege clementiſſimo laboris ſocius Kippio datus dieque tertio Natalibus Chriſti ſacro a ſumme Reu. Diecmanno, quem honoris cauſa nomino, Paſtor Adiunctus inauguratus, munia haec, prioribus non depoſitis, obiuit. Defuncto autem poſt biennium Kippio, non ſolum a S. R. M. anno 1695 in Paſtoratu Mariano confirmatus eſt, ſed etiam d. 11 Aprilis eiusd. an. in ſanctius Ducatuum Brem. & Verd. Concilium aſſumtus. Elapſis dein tribus annis, retenta Aſſeſſoris in Conſiſtorio Regio Stadenſi dignitate, prouinciam Superintendentis Verdenſis & in Aede Cathedrali Paſtoris primarii, quam mors Io. Hartm. Miſleri SS. Theol. Lic. vacuam fecerat, an. 1698 capeſſiuit, eamque hactenus ea, qua decet officii fide, ornauit.

Scripta.

Ieremiae ausgebreiteter Klag-Brief voller Klage/ Ach und Weh aus Thren. V. 15. 16. 17. an dem allgemeinen Klag-Tage über den Todt und Abſchied CARL des XI. Königes in Schweden. Stade. 1697. fol. pl. 16.

Der Schwediſche *Aſſa* in der Krafft GOttes an dem Exempel des Großmächtigſten Königes CARL des XII &c. &c. &c. wegen des durch GOttes Krafft wider den Czaar bey Entſetzung der Stadt Narua am 20 Nou. ſt. vet. anno 1700 befochtenen vollkommenen Sieges an dem desfals am 15 Febr. 1701 celebrirten ſolennen Danck-Feſte nach Anleitung Pſ. XXI. 8 - 14 in einer Danck-Predigt vorgeſtellet. Stade. 1701. fol. pl. 9½. Addita eſt Relatio de hac Victoria. pl. 2. Errores operarum, qui non exiguo numero in hanc concionem irrepſerunt, nemo mirabitur, quoniam Auctore abſente typis exſcripta.

Die ſterbliche Hoheit und erhöhete Sterblichkeit in teutſchen Verſen entworffen / bey dem Abſterben der Hochſeeligſten Königinn in Schweden VLRICAE ELEONORAE. Stade. 1693. fol. pl. 5.

Der Kämpffer Cron zum Gnaden-Lohn gezeiget bey der Leich-Begängniß der weyl. Hochwohlgebohrnen Frauen Ebba Margareta / gebohrnen Freyherrin von Bannier / Ihr. Excell. des ietzigen Herrn General Gouverneurs Graf Mauritz Vellingk hochgeliebteſten Frau Gemuhlin. Stade. 1695. fol.

Dabit, ſi Deus vitam & facultates conceſſerit, quas ex animo ipſi apprecamur

Volumen Miſcellaneorum von einigen Ab- und Anzugs- und verſchiedenen anderen an ſolennen Tagen gehaltenen Predigten.

Orationes habitas, cum Collegae nonnulli in Lyceum Verdenſe introducti ſunt.

Wochen-Predigten über die Hauß-Taffel.

Ioannes Henricus WAGNER *Aduocatus & Notarius.*

Dauid WEHNER *Archi-Dicaſterii Regii per Ducatus Brem. ac Verd. Aſſeſſor, & Ciuitatis Buxtehudenſis Syndicus.*

Buxtehudae natus eſt an. 1668 d. 11. Septembr. patre *Eberhardo* WEHNER, ciue & mercatore: matre *Anna*, *Iacobi* DREWS ciuis pariter ac mercatoris Buxtehudenſis filia. Ex diſcipulo ſcholae patriae

triae factus eſt an. 1683 m. April. ciuis Gymnaſii noſtri, in quo quatuor annos commoratus eſt. Ienam ſe contulit an. 1687 m. Iun. & an. 1689 m. Octobr. patrios lares repetiit. Anno 1690 Holmiam profectus eſt, indeque redux m. April. anni inſequentis Wittenbergam conceſſit, acquiſito indies maiori ſtudiorum incremento. Ad ſuos reuerſus an. 1692 m. Octob. cauſis in foro patrio agendis ſtatim ſe accinxit. Anno 1697 in numerum Aduocatorum Dicaſt. Reg. per hos Ducatus receptus menſeque Octobr. an. 1699 Senator ac Camerarius in Curia patria fuit electus. Syndici munere in eadem Curia auctus eſt an. 1708 m. Iun. & eod. anno m. Iul. Aſſeſſor Archi-Dicaſterii Regii per Ducatus Brem. atque Verd. deſignatus.

Auctor eſt *Diſſertationis Iuridicae de Reformatione Diuiſionis Extraiudicialis ex Cauſa Modicae Laeſionis, ad Leg. 3. C. Comm. vtriusque Iudic.* Praeſ. Io. Henr. Bergero. Wittenb. 1692. 4. pl. 5.

Samuel WENDLAND *Scholae Stadanae Subconrector.*

Fridlandia-Mecklenburgicus, vidit lucem an. 1665 d. 3 Martii. Patrem habuit *Danielem* WENDLAND mercatorem, matrem *Eliſabetham* KEGEBEINIAM. Scholas varias, patriam ſcilicet, Prenslauienſem, Wrizenenſem, Cuſtrinenſem, Sonneburgenſem, Zilenzienſem, Spandauienſem, Suerinenſem & Harburgenſem poſtquam inuiſit, tandem an. 1686 ciuis noſtri Gymnaſii factus eſt, inque eius coetu ſupremo triennium exegit. An. 1689 ſalutauit Academiam Ienenſem ac d. 5 Aug. anni ſubſequentis Lipſienſem & in vtraque biennium conſumſit. Anno 1697 d. 1 Iun. vocatus eſt Scholae Stadanae Subconrector.

Daniel WESTING *Reg. Dicaſter. Aduocatus.*

Wrema-Wurſatus, natus eſt an. 1686 m. Februario. Ex ſchola Luneburgenſi Ioannea, in qua an. 1705 publicam Orationem *de Paſſione Chriſti* habuit, an. 1706 verno tempore Lipſiam & poſt ſex menſes Halam adiit, vbi tres annos exegit. Aduocatis Reg. Dicaſt. apud nos hoc ipſo anno m. Iun. eſt accenſitus.

Elaborauit *Diſſertationem Iuridicam de Eo, quod iuſtum eſt circa Identitatem*, ac Praeſ. *Io. Sam. Strykio* ventilationi ſubiecit. Halae, 1709. 4. pl. 7.

Ioannes WETEGROVE *Reipublicae Stadanae Conſul ſenior & Conſiliarius Prouincialis.*

Annus ipſi natalis Stadae contigit ſuperioris ſeculi 39, dies vero menſis Februarii viceſimus quartus. Patre gauiſus eſt *Gerhardo* WETEGROVE, ciuici ordinis viro; matre *Anna* BORNEMANNIA. Literarum ſtudiis a parentibus deſtinatus, in ludo literario patrio prima artium rudimenta feliciter percepit. Cum vero annum ageret viceſimum, illuſtri Gymnaſio Bremano nomen dedit, perque biennium ope virorum doctisſimorum, qui in eo tum temporis docuerunt, animum doctrina excolere allaborauit. Brema Helmeſtadium & inde Franequeram profectus eſt, vt coepta literarum ſtudia perficeret. In patriam reuerſus praxin forenſem exercuit ad annum vsque 1670, quo Iudicii inferioris in Curia noſtra Actuarius electus eſt. Aedilis munia ſuſcepit anno 1674, Camerarii 1675. Ad Praeturam euectus an. 1690, eodemque anno Holmiam miſſus eſt ad Regem clementisſimum, vbi ob ciuitatis noſtrae negotia expedienda vltra annum ſubſtitit. Conſularem dignitatem obtinuit an. 1693, eandemque d. 14 April. anni praeſentis cum ipſa vita depoſuit, inter Conſules inde ab an. 1700 ſenior, & de rep. bene meritus.

Henricus WETEGROVE *in Curia Stadana Secretarius.*

Ioannis WETEGROVE, Conſulis modo memorati filius, vitam auſpicatus eſt Stadae anno 1678. Ex Gymnaſio patrio an. 1697 abiit in Academiam Halenſem, vbi tres annos ciuibus Academicis interfuit. Secretarius ab Ampliſſ. Senatu m. Iul. huius anni eſt deſignatus.

Gerhardus WILMANS *Paſtor ad D. Mariae & ad D. Wilhadi Diaconus.*

Prom-

Digitized by Google

Protulit eum Brema anno 1677 d. 22 Februarii. Gaudet parentibus *Ioanne* WILMANS ciue ac mercatore Bremenſi & *Rebecca* LVLMANNIA. Literis humanioribus operam nauauit in Regio apud Bremenſes Athenaeo. E patria Lipſiam an. 1698 m. Iun. profectus eſt, atque inde an. 1700 Helmeſtadium adiit, per annum ibi ſtudiorum cauſa commoratus. Legionis Gyldenſternianae Paſtor denominatus eſt an. 1703 d. 15 Febr., quod munus Domin. Palmarum eiusd. anni in ſe ſuſcepit, ac per biennium & quod excurrit adminiſtrauit. Die vero duodeuiceſimo Iunii an. 1705 Paſtor ad D. Mariae, ipſisque Calendis Septembr. eiusdem anni Diaconus ad D. Wilhadi vocatus eſt, Io. Conr. Metzgeri Auguſtam Vindelicorum accerſiti ſucceſſor. Coetui ſacro Wilhadino Dom. XVI poſt Trinit: Mariano autem Dom. XXIII poſt Trin. fuit praefectus.

Theodorus WOLFF I. V. D. *Ciuitatis Verdenſis Syndicus & Curiae Prouincialis in Ducatibus Brem. ac Verd. Aſſeſſor.*

Natione Variſcus, patria Schlaizenſis, luce frui coepit anno 1674 Idibus Decembr. patre *Io. Gaſp.* WOLFF, qui Syndici munere Schlaizae functus eſt. Auum paternum habuit itidem *Io. Gaſp.* WOLFF, cui Henricus IX, illuſtrisſimus quondam Ruthenorum Comes, Conſiliarii & Praefecti munia demandauit. Mater vero fuit *Dorothea*, *Chriſtoph.* WEISKERI filia. In literarum ſtudiis, ad quae propenſam indolem in tenera iam aetate prodidit, ductu domeſticorum pariter ac publicorum, qui ſex ſcholae patriae claſsibus praefuerunt, doctorum celeriter profecit, vixque decimum & ſextum aetatis annum ingresſus in illuſtre Geranum ſe contulit. Huius Gymnaſii ciuis cum eſſet, varia nec inelegantia edidit ſpecimina, orationes ſcilicet modo numeris adſtrictas, modo iisdem ſolutas, inſcriptiones item, & id genus alia. In primis laudem meretur *Carmen*, quod *in obitum Tobiae Heibleri, Cancellarii Ruthenici*, condidit, quodue *Io. Frid. Koeberus*, ipſius praeceptor, publico Programmate *de Scaeuola Ruthenico* lectoribus omnibus ob venuſtatem commendauit. Vid. Io. Burch. Maii Epiſt. ad noſtrum ſcripta, cum pro ſummis in vtroque iure honoribus

conſequendis diſputaret pag.)(2. b. Exacto ibi duorum annorum ſpatio, florentiſsimam Salanam anno 1693 acceſſit, Philoſophiae porro ac Iuris ſtudio ſtrenuam operam nauaturus. Quem in finem ex Philoſophorum ordine *Treunerum, Hartungum* & *Schubartum* docentes audiuit. In iis vero, quae ad Themidis ſacra pernoſcenda ſpectant, anteſignanis gauiſus eſt *Schroetero* (quem per tres annos hoſpitem habuit) *Friſio, Beiero, Bruckneró, Wilduogelio, Sleuogtio*, viris mea laude longe maioribus. Addo illuſtr. *Lynckerum*, aeui noſtri Papinianum, ex cuius ore etiam vniuerſi iuris placita percepit. Ne quid de Hartungo & Schubarto paulo ante laudatis dicam, qui itidem rudimenta iuris tam Romani, quam feudalis & publici ipſi explanata dederunt. Cum ferme tres annos Ienae viris doctiſsimis adhaeſiſſet, generoſiſsimo iuueni *de Witzendorf*, reipublicae Luneb. Conſulis filio, fuit praefectus, vt ingrediendae vitae auctor illi eſſet, ſtudiorumque rationes eundem doceret. Qua occaſione Ienam ſuam nondum deſeruit, niſi quod ad vicinas Academias interdum excurreret, & ſtatum ac docendi rationes exploraret. Stadam peruenit an. 1698, expertus inopinato a *Io. Arnold. Bentenio* V. I. D. & in Tribun. Wiſmar. cauſarum patrono, vt ipſum cum valetudine conflictantem aliquo in cauſis agendis labore ſubleuaret. Paululum hic commorato illuſtre Iuſtitiae Collegium pariter ac ſupremum Iudicium Wiſmarienſe facultatem ſuſcipiendi cauſarum patrocinium conceſſit. Laboris ac indefeſſi ſtudii praemium nactus eſt Kilonii anno 1702, ſummos ſcilicet in vtroque iure honores. Anno 1711. d. 9 April. Syndici Verdenſis & d. 5 Iun. Aſſeſſoris Archi-Dicaſterii Regii in Ducatibus Brem. ac Verd. munia ipſi ſunt delata.

Scripta.

Diſquiſitionis Academicae, in qua autoritas vſusue Legum Juſtinianearum in Germaniae Iudiciis tum rationum robore, tum ICtorum in foro verſatiſsimorum fide, ad ſeriem Tract: Grönwegii de LL. Abrogatis in Belgio &c. modeſte aſſeritur, Diſſertatio Praeliminaris de Iurium Legumue Diſſentaneis ſeu Contrariis, quam ſub praeſidio Lynckeriano publice defendendam propoſuit. Ien. 1698. 4. pl. 5.

Diſſertatio Inauguralis de Pretio Iuris Iuſtinianei Sacri, in qua Autoritas vſusue illius in Germaniae Iudiciis ad ſeriem Tract. Grönwegii de LL. Abrogatis in Belgio &c. modeſte aſſeritur. Praeſ. Sim. Henr. Muſaeo. Kilon. 1702. 4. pl. 8. Vid. Nou. Lit. Mar. Balth. 1702. pag. 243 ſq.

Appa-

Apparet, vtramque Diſſertationem velut proluſionem aut ſpecimen eſſe operis maioris, quod Nobiliſſimus Auctor iam olim Ienae molitus fuit. De quo vt Lectori conſtet, non erit forſan incommodum, noſtrum de Groenvvegii libro, deque inſtituto ſuo differentem audire. Ita vero ipſe in Praef. Diſſ. praelimin. pag.)o(2. b ſqq: *Cum ad repetitionem Collegiorum hactenus exceptorum me accingerem, maiori cum fructu id fieri poſſe exiſtimaui, ſi in quo mores a diſpoſitione iuris ciuilis recedere tradunt illi ICti, quibus Theoriae pariter ſtudium atque rerum multifaria Praxis fidem conciliare poteſt, inſimul conferrem. Et ſane centuriam non vnam theſium, quae pro abrogatis falſo venditantur, adinuenire licet, vbi tamen Mores nihil quidquam a Jure Ciuili, ſi recte hoc intelligatur, recedunt. Quod inſtitutum cum per ſe longe ampliſſimum eſſet, iam quidem ſufficere debebat, vt huic, quem Simon a Grönwegen I.V.D. & Reipubl. Delpho-Batauae a Secretis, emiſit Tractatui de Legibus abrogatis & inuſitatis in Hollandia viciniſque Regionibus inſiſterem potiſſimum, & quae ipſe inibi exoleuiſſe tradit, ea in Germania, quo plerumque tradita eius plurima abrogatores illi trahunt, ſupereſſe, nec moribus in deſuetudinem abiiſſe, ex Doctoribus de fori vſu autoritate ſufficienti teſtantibus, pro virili oſtenderem. Videlicet multa in Grönweg. Tractatu habentur, quae quidem non minus ipſe vniuerſaliter & omnium gentium moribus exoleuiſſe tradit; & tamen, ſaltim Jus Ciuile recte explicetur, ad huc dum omnibus pene gentibus recepta eſſe deprehenduntur. Multa in vniuerſum dicit ſublata eſſe, quae tamen in caſibus ſuis adhuc hodie vigent: multa per LL. inuicem ſibi obloquentes mutata eſſe, cum tamen LL. illae, quae diſtinctos continent caſus, ſibi non obloquantur. Multa moribus non teneri & fori vſu aliter ſeruari ſimpliciter aſſerit, quae tamen vt pro obſoletis reputentur, ratio eorum, modo illa recte excutiatur, ne quidem admittit: ſed & multa regioni ſuae paludinoſae & aquoſae non conuenire tradit, quae quidem de terris noſtris, cum promiſcuis aliis Dd., affirmari non poſſunt. Alia per Ordinationes Polit. Curiae ſuae ſupremae & prouincialis, perque diuerſa mandata immutata eſſe oſtendit: qualia, cum ne quidem ratio locorum iſtorum peculiaris ad nos pertineat, in terris noſtris, vbi Jus Ciuile receptum eſt, nos ſequi non debere, Doctorum illorum, quibus credere fas eſt, autoritate demon-*

Digitized by Google

demonſtratum iui. In multis denique mores a Jure Ciu. diſcrepare tradit, & tamen vix ac ne vix quidem diſcrimen aliquod obſeruare licet, recte rem expendentibus. Igitur hunc laborem dum bono cum Deo ſuſcipio, conſilio perilluſtris atque excellentisſimi Domini Nicolai Chriſtophori, Nobilis Domini de Lyncker, &c. Domini mei & patroni deuoto animi affectu ſuſpiciendi (cuius ab ore aliquandiu pependi, quamque ſpimbat doctrinarum ſoliditatem, quoad potui, percepiſſe, in maxima fortunae benignioris parte acceptum merito habeo) eumque Speciminis Academici loco ſub forma Diſſertationum publice ventilandarum typis publicis ſubmitto, nihil moror eos, qui immerito talismodi laborem a me, qui Theoriae ſtudio vacauerim, ſuſcipi opinabuntur. Totum hoc opus Anti-Groenvvegianum (quod in molem non adeo exiguam excreuit) iam eſt ad finem perductum, atque ſeruatur a *Nicolao Chriſtophoro de Lyncker* Barone, hodie Conſiliario Imperiali Aulico Viennenſi, cui petenti atque vrgenti illud luſtrandum transmiſit, quippe ipſius auſpiciis ſuſceptum. Prodibit forſan ſub titulo *Iurisprudentiae Modernae.*

Errata.

Pag. 38. l. 19 pro *noſtram* l. noſtrum. pag. 48 l. 17 pro *Infantionis* l. Infantationis. pag. 53. l. 9. pro *editorum* l. editorem. l. 10 pro *Gynaſio* l. Gymnaſio. pag. 56. l. 12 inſere: Profeſſoris. l. 23 pro *acquiſiueres* l. acquiſiuerat. pag. 69 l. vlt. pro *Schoeningam* l. Schenitigam. pag. 76. l. 14 pro *Brunſwigae* l. Luneburgi. l. penult. pro 1698 l. 1695. pag. 77. l. 1. pro *ſurrotus* l. ſurrogatus. pag. 80. l. 11. pro 24 *Aug.* l. 26 Aug. quod ſphalma ex Brem. Lit. p. 47 nobis obrepſit. pag. 81. l. 4 pro *publicae* l. publice. pag. 83. l. 25 pro *Hobbeſiis* l. Hobbeſii. Adde ibidem ſcriptis Meieri *Diſputationes duas de Verſione LXX virali contra Ariſteae Hiſtoriam de LXX Interpretibus*. Witteb. 1687. 4. & *Diſputationem Theologicam: Quid circa Clauem ligantem liceat?* Praeſ. *Mich. Walthero.* Witteb. 1688. 4. quam integram, vti ex certis indiciis noui, licet ab alio Reſpondente defenſam, Noſter conſcripſit. pag. 88. l. 27 pro 1679 l. 1699. l. 32 pro *Canditatus* l. Candidatus. pag. 93. l. 19 pro *Stade* l. Stadae. Si quae praeter ſpem irrepſere alia, ea B. L. pro humanitate ſua ipſe emendabit.

(o)

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

S IV

Digitized by Google

Digitized by Google

S IV

Digitized by Google

Digitized by Google

S IV

Digitized by Google